








Jo: Val: Andreæ D. T.



IOANNIS VALENTINI ANDREAE

THEOLOGI Q. WÜRTTEMBERGENSIS

VITA,


AB IPSO CONSCRIPTA.

EX AUTOGRAPHO, IN BIBL. GUELFERBYTANO RECONDITO, ADSUMTIS CODD. STUTTGARTIANIS, SCHORNDORFIENSI, TUBINGENSI, NUNC PRIMUM EDIDIT

F. H. RHEINWALD, DR.

CUM ICONE ET CHIROGRAPHO ANDREANO.

BEROLINI.
APUD HERM. SCHULTZIUM.
1849.



Vorwort des Verlegers.

Der Professor Dr. Rheinwald liefs bereits vor mehreren Jahren den Druck des vorliegenden Buches besorgen und hatte dazu lateinische Noten und Anmerkungen geschrieben, von denen bereits einige Bogen gedruckt waren, als plötzlich eine Geisteskrankheit des Verfassers eintrat, wodurch die Fortsetzung des Drucks unterbrochen wurde.

Das Gericht, welches die Vormundschaft für den Professor Rheinwald übernommen hat, gestattete mir nun vorläufig das Leben von Johann Valentin Andreae zu versenden, welches

ich hiermit dem Publikum übergebe, mit dem Versprechen, dafs ich auch die Noten und Anmerkungen fertig drucken lassen werde, sobald das vorliegende Werk einige Anerkennung findet.

Berlin, im Mai 1849.

Hermann Schultze.

LIBER PRIMUS.

Fuerimne aliquando inter mortales, et quis homuncionum fuerim, scire, posteritatis fortasse parum refert, cum Dei beneficio vitae rationisque aliquando usum habuisse et a Christo Jesu ad meliorem vitam atque beatam aeternitatem revocatum esse, interea sacrae et publicae rei pro sancti spiritus donario et conductu, non defuisse, multis insuper coeli terraeque beneficiis ornatum vixisse, nimis abunde sit. Caeterum, quod ea memoriae humanae sors sit, ut dum moram aliquam post funera inter superstites facit, prout interpretis linguam calamumve nacta est, ita fidem inveniat, sive amori obnoxius, quod minus est, extollat; sive invidiae, quod majus, extenuet; sive luxurians stilus sciens volensque credulitati humanae imponat: plurimum interesse videtur, ne ea res vel innocentiae cujusquam fraudi sit, vel culpae blandiatur, potiusque recte secusque facti, (si quid recordatione dignum est) genuina recitatio prostet. Cum etiam diversae religionis odium, aut causae disparatae studium, tum

privatarum etiam simultatum sensus, omni etiam excellentiori virtuti sic officiat, ut quantum hinc laudis quisque, tantum vituperii illinc ferat, utri credendum tutius, haud absurde dubitaveris, malisque judicium de homine suspendere, atque adeo Deo arbitrium relinquere, quam ab alieno affectu pendere.

Haec res fecit, quod nonnulli sibi recte conscii, citra odium et indulgentiam vitae suae stamen commentari et candidam mentis suae explicationem post se relinquere in animum induxerint, veriti ne alieno penicillo multum sibi dissimiles exprimerentur, aut ab ea parte, quam abhorruissent, laudati, aut quam studiose secuti fuissent, alieni habiti, fortasse etiam nulla penitius cogniti, et ad venalis stili mercimonium in famae streperae forum exponendi. Mihi vero ut tale quid auderem, alia ratio persuasit. Nempe cum mihi vita prope omnis non, ut permultis solet, recto alveo profluxerit, sed sinuosis flexibus hinc illincque acta, interdum exundans, interdum desidens, nunc clarior, nunc turbida producta sit, visum est operae pretium, si unius homuncionis fabula, ab omni affectus et eloquii fuco aliena, fide bona et germana exhiberetur. Ubi non laudes et vituperium citra meritum congererentur, nec etiam magni in rem publicam officii memoria sanciretur, sed vitae cum brevis, tum lubricae atque ab omni parte miserae imago lectori objiceretur, ubi tot ambages, vices, aestus, tum obstacula, injurias, calumnias, insidias, praeter sudores, angores, morbos et tristes casus intueri, miserari et cum suae

peregrinationis diario conferre quisque possit, sed et mirari Dei opem, qua absque sit pensile hoc filamentum neutiquam duraturum, sed ad singulos turbines rupturum videatur. Accessit, quod cum vitae studiorumque meorum rationes, qui penitius noverant, iis facile probaverim, qui ignari et ab alieno judicio vel aegra mente penduli, plurimum insectati fuerint, praeterea animi, linguae atque judicii libertas mea, multos pupugerit, adeo ut nonnullis nec religionis, quam ab omni vita professus ingenue sum, atque porro profitebor, Lutheranae, fidem fecerim, ac sub aemulationum, suspicionum, cavillationum et simultatum fasce obrutus, diu delituerim, ne illa intemperies post obitum meum, qui mihi corpore imbecilli et afflicto quotidie obversatur, majores vires ausus ve sumat, et innocentibus cineribus insultet, id debere progeniei meae, et fidis amicis mihi visus sum, ut incorruptae et fidei et vitae meae velut supremae tabulae apud ipsos deponerentur, quibus vel os quodvis malignum obstruant, et ab injuria innoxios manes vindicent, vel imperitos rerum, atque adeo credulitate circumventos melius erudiant, omnino vero, me neque ab avita paternaque religione et virtute degenerem, neque familiae meae qualicunque indecorum neque etiam rei christianae prorsus inutilem fuisse testentur.

Si tamen infra spem exilia et minutiora subinde occurrant, aequanimus lector ex hoc aestimabit, non viri amplae rei, aut praeclarae eruditionis, vel gen-

tis insignioris panegyricum, non itineris longinqui et monstrosi relationem, non rerum memorabilium congeriem promitti, quamvis, si multorum sonoris elogiis phaleras et verborum pompam subtrahas, inania sceleta passim invenias, sed hominis plebeji atque obscuri, tum ingenii obtusioris stamen explicari, quem paupertas domo exegerit, exterorum favor exceperit, fortuna adversans rotarit, studiorum subsidium aluerit, calumnia depresserit, amicitia suffulserit, hypocrisis fastidierit, candor animarit, labor exercuerit, conscientia coërcuerit, libertas commendarit, tranquillitas saturarit, corpusculum onerarit, indoles sublevarit, aula erexerit, ecclesia receperit, Deus protexerit, Christus accenderit, spiritus sanctus conduxerit, res christiana adhibuerit, mundus proscripserit, coelum adoptarit, quibus vita mea ponderibus librata suis, eo provecta sit, ut nec bonorum, quae Deus indulgenter contulit, pudere, nec malorum, quibus paterne castigavit, poenitere, potius divinum consilium, quo per ambages suas recta ducit et conculcando extollit, scilicet per mortem ad vitam veriorem perducit, aestimare atque pleno ore extollere sit necessum. Sed praelogii in simplici causa satis, nunc vitae meae narrationem ex vero et bono audiamus, quae sic habet.

Johannes Valentinus Andreae natus sum Herrenbergae [1]) Würtembergicae, parentibus, Johanne, ecclesiae ibi pastore et vicinarum superintendente, Jacobi theologi filio [2]), Jacobi nepote [3]), Stephani pronepote, Stephani abnepote, et Maria *Moseria*,

Valentini quondam ibidem praefecti filia, Balthasari nepte, Balthasari pronepte, Balthasari abnepte, anno a Christo nato 1586. 17. Augusti, intra 6. et 7. horam matutinam, in aedibus parochialibus baptizatus eodem die a M. Matthia Hafenreffero, ecclesiae tum diacono, susceptoribus Michaele Schnaiblin Senatore et Agnete, vidua Johannis Neuferi ibi quondam cellarii.

Primam infantiam afflictissimam habui, adeo ut non nisi bimus in pedes primum erigerer, quam etiam valetudinis tenuitatem omni vita toleravi, ingenio interim sagaci et festivo, ut propinquis et amicis voluptati essem, maxime vero Nobili et amplissimo Dn. Burckhardo ab Anweil, superiori ejus loci praefecto et summi dicasterii praesidi; Ludovico Neufero, matris sororio aliisque, sed quae res pene exitium puero attulit. Cum enim forte in horreo cujusdam civis foeno, quod inferebatur, injectus obdormivissem, plaustrum cum quadrigis illaesum pertransivit, Deique unius potentia incolumem servavit. Literarum rudimenta a Michaele Beumlero accepi viro optimo, Jacobi Dinckelaggeri praeceptoris collega, a quo teneri amoris mnemosynon deauratum nummum tuli, cumque A. 1591. 24. July pater Abbatiae Regii fontis praeficeretur, illuc etiam translatus sum reperique praeceptores idoneos M. Jacobum Schroppium et M. Franciscum Rebstockium, inde mutata scholae facie M. Georgium Oswaldum; demumque ablata omni schola substitutos diaconos M. Jacobum Banzhaf, M. Fe-

licem Roesch et M. Andream Fabri, qui omnes et singuli in'ustria et fide officium fecere. Interim cum variis morbis pater impeteretur, medicae opis desiderio Johannem Mollerum et Johannem Hartigium, Silesios, utriusque medicinae studiosos conduxit, quorum opera cum in praeparandis medicamentis, tum instituendis filiis uteretur, utrumque sane bona fide probavere, posterius tamen hic, quam felicissime et maxima industria praestitit, cui etiam prae aliis praeceptoribus plurimum me debere profiteor. Dici non potest, quantum inter aptum ineptumque magistrum discriminis sit. Brevior fuit Hartigii institutio, sed exquisita et in omnem aetatem durabilis; aliorum verius pro conscientia quam scientia. Quibus nequaquam hoc exprobratum velim, omni gratitudine mea dignissimis, saltem conqueri, non multorum, sed oppido paucorum esse pueritiam formare et erudire, quae tamen res promiscue ac vix nisi imperitissimis concreditur. Hinc temporis, impensarum et plagarum maximum dispendium, ut nisi per se ingenium velut ex coeno emergat, impeditum se potius quam extractum asseverare possit. De me nescio quid pronunciem, sane remorarum impatientia sponte me dedi lectioni Frischlini, Erasmi, Livii et cosmographiae Münsteri, quorum delinimentis historicis stili intelligentiam penetravi, ausus meo primum, dein sine cortice natare, et plurimae volutationi me immergere [4]).

Tandem inclinata patris valetudine, cum concionandi laboribus sublevandus esset, Johannem Hab-

nerum, Remlingensem Francum, adhibuit filiorumque studiis admovit, donec anno 1601. 9. Aug. hydrope ad Deum evocaretur, cujus exuviae in Monasterii templo depositae quiescunt, cum vixisset annos 47. m. 3. dies 7, et ministerio ecclesiastico 25. annos magna cum laude esset defunctus. Inter haec tyrocinia literarum animum ad mechanica, mathematica et historica sive Michaelis Beureri, quondam coenobii conventualis instigatu, sive naturae inclinatione, sive artificum (ex quibus Johannes Krezmaier alter patriae nostrae Archimedes, et Wilhelmus Meurer organopaeus, facile eminuere), frequenti contubernio diverti, socio Joh. Baltasaro Feselio, Michaelis fabricae ferrariae inspectoris filio, quem vivum ardenter dilexi et mortuum 27. Oct. 1604. puerili epitaphio ornavi. Sed et reliquorum sodalium Johannis Martini Eisengreinii, Johannis et Jacobi Bestlinorum, Hectoris Horckaemeri, Johannis Ulrici Nicolai, Georgii Kneulii, Christophori et Michaelis Daurii, Johannis Leonhardi Feselii, Jacobi Wannenwetschii, Thomae Schlofsbergeri, Abrahami et Isaaci Muese, Laurentii Nestelii, Philippi a Sperwerseck et Davidis Steudlini nomina in memoriam reticere nolui. Translatus Tubingam inclementissima hyeme, iterum ab ingenti periculo parum abfui, quod cum frigus ferre nequivissem, currum pone secutus eundemque post fatigationem insiliens, utrumque crus rotae immittens vertente ea misere tortus, ac jam confringendus, subita ac coelesti ope, objecto sc. saxo, servatus fuerim, cujus vestigium

cum vita haerebit. Tubingae quos Professores atque vere lumina literaria repererim, recitare fortasse non indignum est.

Fuere autem Stephanus Gerlachius [5]), procancellarius, Matthias Hafenrefferus [6]), Joannes Georgius Sigwartus [7]), theologi, quibus paulo post accessit Andreas Osiander [8]), cancellarius et Michael Schaefer [9]). Jure consulti: Johann. Hochmannus [10]), Nicolaus Varenbülerus [11]), Andreas Laubmaier [12]), Johann. Halbritter [13]), Johann. Harpprecht [14]), David Mageιrus [15]) et Henricus Bocer [16]), quibus partim defunctis successere Joh. Valentinus Neuffer [17]), Andreas Baier [18]) et Christophorus Besoldus [19]). Medici: Andreas Planerus [20]), Daniel Moeglingus [21]) et Sebastianus Blofsius [22]), quos secuti Joh. Faber [23]) et Johann. Jacob. Haug [24]). Liberalium artium doctores: Martinus Crusius [25]), Georg. Burckardus [26]), Erhardus Cellius [27]), Vitus Müllerus [28]), Michael Maestlinus [29]), Michael Zieglerus [30]), Henricus Wellingius [31]), Caspar Bucherus [32]), Michael Beringerus [33]) et succedanei: Albertus Kuon ac Zacharias Schaeffer [34]) et Eusebius Stetter [35]).

In hac prima academia mea prudenti consilio Georgii Burckardi, ne quid praecocius exilirem, disciplinae et curae Henrici Wellingii, Casparis Bucheri et Erhardi Cellii traditus sum, virorum diligentia et amore in me ac fratres certantium, sociis Georgio Krumpein, Philippo Eppich, Rudolpho Rieppio, N. Beccero et N. Rieckero. A quibus cum dimissus essem, successerunt ipse Burckardus, Michael Zieg-

lerus, Martinus Crusius, ac paulo post Vitus Müllerus, Michael Maestlinus et Andreas Planerus; quorum omnium industriae et fidei, quicquid sum, debeo. Privatam opem contulit: Balthasarus Plieningerus, nunc sororius, ut quae ingenii captum excederent, ipse explicaret, cujus conductu disciplinae, ut solet, absolutae ac delibatae sunt. Primam laurum Cellius, alteram Müllerus imposuit, illam 1603. 12. Sept. cum 20, hanc 1605. 6. Febr.[36]) cum 34 competitoribus, quos nominare libet.

Primi honoris: Joh. Georg. Gerlachius, Wilhelmus Bidembachius, post me Joh. Georg. Bohs, Gottfrid Junius, Antonius Cuccuellus, Joh. Georg Algeer, Christoph Straufs, Georg Mailand, Adam Schnurmius, Michael Pfalhammer, Joh. Ulricus Rucker, Jacobus a Grab, Lucas Schuler, Ahasverus Wollprett, Melchior Waerter, Caspar Fridericus, Samuel Brust, Johan. Lieb, Matthaeus Negelin et Otto Henricus Bonaker fuere. Secundi vero: Exul Rumpfius, Ludovicus Schopff, Martinus Bohemus, Jacobus a Grab, Joh. Ludovicus Moegling, inde post me Christoff Mack, Johann Ulricus Thumm, Georg Henricus Liebler, Matthaeus Schroettlin, Johann Daubenschmid, Johann Georg Genth, Daniel Schroettlin, Joh. Jacob Weidner, Christoff Straufs, Jeremias Pistorius, Georgius Negelin, Joh. Lieb, Joh. Ulricus Wolffart, Jac. Heistung, Philipp Lutz, Johann Wolfgang Schwenck, Lucas Schuler, Wilhelm Algeer, Johann Lilienfein, Johann Kürner, Joachim Keller, Jacob Faber, Elias Schiccart, Samuel Brust, Johann Laitenberger, Wen-

delinus Vogel, Joh. Jacob Binder, Sebastian Widmann et Ahasverus Wollprett.

Jam a secundo et tertio post millesimum sexcentesimum coeperam aliquid exercendi ingenii ergo pangere, cujus facile prima fuere Esther et Hyacinthus [37]), comoediae ad aemulationem Anglicorum histrionum juvenili ausu factae, e quibus posterior, quae mihi reliqua est, pro aetate non displicet. Secuta sunt Veneris detestatio et Lachrymae tribus dialogis satis prolixis, ob infelicem, de quo postea, casum meum expressae, quae invito me perierunt. Superfuerunt e contra Nuptiae Chymicae, cum monstrorum foecundo foetu, ludibrium, quod mireris a nonnullis aestimatum et subtili indagine explicatum, plane futile et quod inanitatem curiosorum prodat. Invenio etiam in chartis meis titulos Julii, sive Politiae libros tres, Judicium astrologicum contra astrologiam, Iter, sed quod dudum interierint, quid iis consignarim, non memini. Atque haec scriptionum praeludia fuere, quibus illam variae lectionis ingurgitationem exoneravi. Caeterum privatae familiaritatis commilitones et studiorum socii Gerlachius, Bidembachius, Junius, Rumpfius Bohemus, Moeglingus, ac praeterea Eberhardus Andreae, Jacobus et Georgius Schützii, Samuel Hafenrefferus, Erhardus Artner, Heinricus Kuon, Sigismundus Rhat, Johann Conradus Machtolph, Matthaeus Hiller et alii fuere, sed praecipui studiorum sedulitate et morum innocentia Burckardus et Martinus Rümmelini, quos mater mea ut probi exem-



pli sodales et sponte invitavit, et ut nos iis conversaremur, sedulo hortata est, quo consilio perfecit, ne toto hoc studiorum sexennio vel una vini mensura a nobis extra aedes suas cum sociis suis exhauriretur, sed frugali merenda libenter acquiesceremus. Actum praeter Frischlini (cujus qua libera, qua ligata, omnia sedulo evolvi) et Erasmi facilitatem, in Ciceronis majestatem, Livii floriditatem, Caesaris et Salustii leporem me immisi, plurimum ab iis abreptus et liberali voluptate delibutus. Inde in Lipsii[38]) acrimoniam fortuito incidi, cujus quicquid unquam emicuit, magna aviditate devoravi, nescio annon stili corruptela, hoc tamen usu, ut in antiquitatis cognitionem et seriam philosophiam, tum Senecae Tacitique aestimationem manu duxerit. Successere Brissonius, Turnebus, Lambinus, Scaligeri, Heinsius et nobiliora alia Belgii, Italiae et Galliae ingenia. Ex historicis Bembus, Jovius, Guicciardinus, Sigonius; ex poëtis post Plautum, nimis tritum, quicquid vel prisca vel recentior aetas ingeniosi protulit, eo affectu et impetu, ut poëtam factum non esse, mirum sit; his superimposui Zwingeri[39]) Theatrum, cum methodi exquisita ratione tum infinita varietate historica impendio dilectum, et quo multum olei est insumptum. Ita enim tempus diviseram, ut artium disciplinis interdiu incumberem, autorum vero lectioni profundae noctis lucubrationes adderem, qua intemperie effeci, ut et visus aciem hebetarim, et insomniae molestiam mihi conciliarim, et fidae memoriae te-

nacitatem labefactarim. Hinc disciplinarum peritia sodalibus non longe impar factus, rerum cognitione multos anteverti, quae res promovit, ut immatura prope aetate juventutis informatio mihi crederetur. Primus discipulorum fuit Daniel Widt, clarissimi illius viri, Franc. Rudolphi Ingoltii, Argentoratensium Triumviri, affinis. Additi sunt Johan. Ulricus et Marcus Neufferi, Johan. Cunrad Brottbeck et Johan. Erhardt Eckhardt, in cujus paternis aedibus aliquandiu convictus mihi fuit, et Joh. Leonhardus Essichius conciliatus. Nullus horum ad rei literariae ornatum emersit, sive mea, sive sua, sive suorum culpa. Interea mihi et matris [40]) oeconomiam sublevare (nam ultra centenos florenos salarium nondum vicennis accipiebam) et otium pariter ac sodalitium vitare, tum docendo quotidie discere, ac in oculis inspectorum versari ut licuit, ita plurimum profecit. Quicquid succisivi fuit, mathematicis elegantiis datum est, conciliante et instituente Davide Magειro, consummatissimi ingenii viro et de mea familia supra omnes mortales praeclare merito, de cujus laudibus alibi, sed nuspiam et nunquam satis. Suppeditavit etiam plurima Maestlinus notae celebritatis mathematicus, sive instrumentorum, sive librorum, sive privatae informationis, cui accessit Christophori Besoldi et incredibilis humanitas et inexhausta beneficentia cum bibliotheca supra privatam sortem instructissima, cujus in me singula merita omnem meam commendationem excedunt. Nec praetermittendus est Johannes

Lindanus, Belga, ex iis qui Albani immanitate pulsi in Germaniam secesserunt, vir orthodoxae religionis, quinque linguarum peritia et historica cognitione insignis, cujus e bibliopolio, quicquid visu audituque insolitum, ac meo aere minime coëmendum erat commodato accepi. Ac tum praeter Ortelium Mercatorem, Theatrum urbium, Opus Genealogicum Henningii, Trophaea Belgica, Indicas navigationes et hujusmodi ad pompam facta volumina, Thuanus, Meteranus, Merula, Metellus et consimiles aevi ac orbis nostri descriptores innotuere, quibus ille vivus interpres et commentator adfuit, irreparabili meo damno citius mihi, etsi sibi satis mature ereptus et coelo redditus. Ejusdem instinctu, cum jam superioribus annis in convertendis Sadoleti Consolatione, Philippi Nicolai Speculo aeternae laetitiae, Excidio Hierosolymitano et nonnullis aliis periculum fecissem, Speculum tragicum, Admiranda Lipsii, Jus belli Belgici, Reges Neapolitanos, Electores Saxoniae, Comites Tirolenses praeter alia transtuli, si nullo alio usu sane torporis vitamine, et ad eam qua totus flagrabam foras excurrendi cupidinem, maturiore instructione et praeparatione. Quo etiam consilio linguarum exoticarum studium praemisi, haud exiguo, quod post expertus sum, impensarum et temporis compendio.

Dum ita in flagranti gratia apud cunctos prope academiae proceres essem, Osiandro, Hafenreffero, Magetro, Zieglero primis motoribus in me propendentibus, liberali insuper stipendio adjutus, atra

quaedam tempestas me propemodum evertit. Nam (ut ne a somniis quidem abstineam) memini visam mihi dormienti piceam nubem ad inferiora sese demittentem et aedium fenestras transitu radentem, quarum una aperta frustum abstraxerim, gelidum admodum, cujus horrore evigilarim. Nec diu abfuit eventus.

Erant N. Heusser Austrius, Sigismundus Rhat et nonnulli alii, qui in Veneres illius temporis nimis et insolentes et frequentes petulantius luderent, haud dubie etiam insontes implicarent. Ea obscoenitas mecum communicata et mox detecta fraudi et mihi fuit atque poenae. Urgebat sive sontes sive insontes Matthaei Entzlini juris satis periti, sed nostrae patriae tum Seiani justa indignatio et autoritas domestici pudoris exprobratione irritati. Exinde ego vilior habitus mihi omnium maxime vilui. Jam theologiae sacro studio me dederam conductore Michaele Schaeffero, exactae eruditionis et singularis plausus theologo. Jam sermones publicos habueram primum Saxowilae[41]) in sororii Plieningeri patria, dein Hermaringae[42]) apud Felicem Roeschium, pueritiae praeceptorem candidissimum, frequentiores postea etiam circa Tubingam inprimis Derendingae, idque Facultatis theologicae diplomate. Poteramque solitis gradibus ascendere, manum quibusque bonis porrigentibus: sed me sive sors mea sive rei indignitas expulit.

Itaque vitae studiorumque subsidiis sponte abdicatis, secessi[43]) Argentoratum comite Christophoro

Wellingio, usus convictu Adami Volcii, literariae juventutis bonae memoriae magistri. Hic expertus sum Johan. Pappi[44]) celebris theologi benevolentiam, paternae avitaeque amicitiae non immemorem. Inde domum rediens, ac Badam (quae sub id ipsum tempus Illustr. principi Georgio Friderico nostraeque confessioni accesserat) transiens, nomen inter eos, qui plantandae religioni operam locarent, Durlaci dedi nec locum obtinui. Reversus Lindanum Belgam meum vita functum amare luxi, nec minus quod cum ipso Francofurtum iter destinaveram, persecutus sum. Heidelbergae aliquantisper substiti. Francofurto (cujus nundinis autumnalibus intereram) et Hassiacis oris revocatus, cum Moguntinos, Vangiones et Nemetenses per occasionem, non parum salubri mihi tot annorum valetudinario aëris mutatione, et corporis languidioris motu, invisissem, novae paedagogiae implicitus sum. Andreas Herwartus Esslingensis, quam operam generosi baronis Georgii Andreae Catianeri, (ex illis qui olim Croatiae Dynastiam tenebant oriundi, Vigauni domini) filiis addixerat, in succedaneum deponere satagebat, quem me Sebastianus Heschius consobrinus ex Herwarti familiaritate substituit.

Veni ergo A. 1607 sub anni finem Lavingam, quondam nobilem Palatinatus superioris scholam, sed jam haud parum inclinatam et disciplina laxam, ubi jam Georg. Balthasar filiorum maximus substiterat, optimae indolis et summae modestiae juvenis. Rectorem reperi Georgium Cleminium juris peritum, pro-

fessores theologos Philippum Heilbronnerum[45]) et Georgium Zeaemannum[46]), disciplinarum Blossium, Ortelium, Cellarium, Hülzamerum. Convictus commodus ab integerrimo sene Heilbronnero, amico avito et paterno datus est, cujus etiam occasione bibliotheca Palatina satis instructa patuit. Habitatio cum Davide Brentelio[47]) pictore et senatore admodum candido fuit. Lautum mihi stipendium assignatum est, centum quippe philippicorum, praeter liberalem victum, sed minus studiis et moribus consultum; incidi enim in corruptores, privatos quosdam praeceptores, qui et suis alumnis et mihi perniciem magno conciliabant. Cumque in confinio Dillingenses Jesuitae Majus, Heissius et alii ad nos frequenter commeassent, amicitiam quandam civilem simulabant, sed cujus lubricitatis mox taeduit et puduit. Scriptioni post lectionem parum datum, cujus exequias principis Friderici Würtemb., Nobilitatis et eruditionis duellum[48]), et libellum supplicem pro impetranda functione ecclesiastica bene longum, et Veritatem religionis christianae per compendium comprehendentem, memoria utcumque teneo. Cumque preces meae frustra fuissent, immo desperare de loco in patria obtinendo juberer, coepi paulatim theologiae studium remittere et de mutando vitae genere cogitare. Profuit tamen postea hanc insolentem repulsam exhibere, ne mea sponte leviter desiliisse a primo proposito crederer. Amicum Lavingae prae aliis privatum post Herwartum habui Jacobum Winterum typographum conterra-

neum, nec quicquam praeter sedulam institutionem recitatione quam correctione dignius ibi egi, adeo difficile est lapsante disciplina, cui necquicquam boni professores se opponebant, modum tenere. Hyems intentissimo frigore et arboretorum noxa notabilis fuit, ac Donawerda tum Bavari armis libertate et religione excidit, cujus nos spectatores fuimus. Hujus periculi sive metu sive occasione patronus Catianerus ad se me Labacum Carniolae, ut domi strictiore experientia probaret, evocavit, quod iter cum difficilius meae complexioni videretur, dissuadente insuper ipso Herwarto et repugnantibus, quibus obsequi fas erat meis, cessi functioni et Esslingam a nobili theologorum fratrum pari, Philippo et Jacobo Heilbrunneris, una pilento traductus concessi. Hic cum utrisque vale dicerem et pro favore gratias agerem, Jacobus pro se et fratre locutus: cum avo tuo, inquit, quondam vale dicerem, ille qua solebat humanitate optima quaeque precatus addidit, quod olim Johannes de Christo vaticinatus est: oportet te crescere, me autem minui, de te nunc plane ominor, et ut ratum sit, Deum adoro. Nec abfuit vero tanti viri augurium, cum paulo post mortalitatem exuisset, me non indecoro in ecclesia Dei loco reposito. Idem nunc, mi juvenis, repeto, et avi tui benedictionem in me collatam tibi cedo ac bona fide reddo, et cum minui me annis gravem et impendenti ecclesiae tempestati accedentem, par sit, crescere te et avitis paternisque vestigiis et sedibus inhaerere ex

animo opto, atque ominis haud vani spem ex fratris mei commendatione et indolis tuae indicio concipio. Quod citra jactantiae sensum ob viri in ecclesia Dei praestantis memoriam reticere non debui.

Post Tubingae redditus, etsi opima sustentandae vitae conditione dejectus, non defuit tamen sub Dei providentia amicorum favor, qui duorum nobilium Truchsessiorum ab Hoefingen Henrici et Burckardi institutionem conciliaverant, quos avus Joh. Conradus, Crespachii Dominus, vir prisci moris et libertatis, Tubingae suis aedibus alebat, pater Johannes qui Hoefingae degebat, per intervalla visebat, Andreas Osiander cancellarius autoritate sua dirigebat. Hic: per biennium substiti, victu tantum absque omni stipendio contentus, caetera mihi absque matris impensis, ingenio et labore prospiciens. Nam a quo maternis aedibus egressus sum, toto novennio non nisi 50 florenorum impendio meis constiti, de quibus postea 20 refudi. Itaque parandum sudore et vigiliis, sed omnium maxime arduis precibus fuit, quod erat necesse, id nescio an ii intelligant, quibus a patrimonio omnia sunt parata.

Fuit a[utem] post Magεισum in me admodum beneficus Henricus Wellingius ex conjuge sua Eva Moserina affinis, qui singula stili exercitia, quae facile effundebam, floreno redemit, sive iis delectaretur, sive misereretur mei. Hujus etiam suggestione commentus sum ideam bonae institutionis sub fictitia Theodosi historia, libris duobus prolixioribus, inventione, ni mihi blandior, non invenusta

et quae nisi interiisset, omnes meos juveniles conatus meo judicio anteiret. Sed mallem omnia mea obliterata quam plura cum invidia prostare. Itaque et plura illius temporis schediasmata periisse nihil doleo. In hoc vitae genere amicos novos nactus Joh. Balthasarum Moserum, Joh. Bernhard. Unfridum, Joh. Bechtoldum, Polycarpum Lyserum, Joh. Martinum Rauscherum, Eberhardum Cleminium, Antonium Varenbülerum, Antonium Frey et favitores: Thomam Lansium, Antonium Winterum, Zachariam Schaeferum, iis sub literario commercio vitam nunquam molestia carentem condivi. Matthaeum etiam Loeschium horologiopoeum, Christophorum Schnierlin aurifabrum et Davidem Übermannum scriniarium, ob suae quemque artis peritiam familiares habui. Et ne insulsus essem, chely[e] etiam ac testudine ludere Joh. Dürvius docuit, cujus nulla vita mea vel puduit, vel poenituit. Hic quantum per scholasticas operas (quas tamen ob alumnorum duritiem infeliciter impendi) licebat, ad theologiae studium redii, doctoribus Osiandro, Hafenreffero et Sigwarto, quibus paterni in me affectus laudem tribuo.

A. 1609 occasione matrimonii inter Christophorum Wellingium cognatum tum mihi conjunctissimum, et Elisabetham, patritia Rothiorum familia nobilem, sed pietate et moribus nobiliorem, contracti, Ulmam, quam biennio ante primum videram, aliquoties revisi, a Johanne Schermario[49]) jure consulto decrepiti, sed vivacis senii viro (ut in pane-

gyrico meo) memorabili, liberaliter habitus et multorum amicitiae insertus, quae res propemodum conjugii ut ut honoratissimi compedes injecisset, sed a quibus Dei providentia alio evocavit, nec enim vita mihi ut aliis eodem tenore unquam lapsa, sed aliis atque aliis diversionibus subinde intercisa est. Circa idem tempus conciliatione Joh. Vischeri affinis, pastoris emeriti, innotui Tobiae Hesso[50]), viro omnigena rerum cognitione et fervida pietate incomparabili et exinde Abrah. Hoelzelio, equiti Austrio, quibus rara admodum, sed vere christiana amicitia mutuum connexis, mirum quam malevolentiae turbines et calumniarum nimbi adversum obstiterint atque me inprimis exagitarint; quam omnem tragoediam, quoniam in justam Apologiam 1613 conjeci, non hic iterum velut ingratam camarinam moveo. Certe si quidquam in vita durum ac molestum mihi accidit, amicitiae Hoelzleniae pretium facile primarium est, sed cujus etiam remedium et finem Deus tandem invenit.

Anni 1610 initia variis scriptionibus data sunt, quarum nonnulla postea in lucem ab aliis protrusa. Medio, cum unionis primordia ex Juliacensibus motibus emergerent et Alsatia impeteretur, frater Johann Ludovicus castrensis ecclesiastae munus sub Pleickhardo Helmstettio Duce subiisset, castris ad Dachsteinium positis, ego illuc excurri et infelici oppugnationi interfui. Inde occupato loco et Molzhemio addito, propemodum pedes domum redire coactus sum, qui eques exivi. Nam quo locatione

usus eram equo, socii furto abstulere indeque triginta minus paratos florenos veterinario solvere coactus sum. In itinere reditu Argentinae Catianeros Barones salutavi, quos tum postremum cum praeceptore Joh. Taufrero [51]), amicissimo meo, postea celebri theologo vidi, nisi quod Georgium Balthasarum anno post in patriam redeuntem, cum ad me Tubingae divertisset, unius diei itinere comitatus sum, nec exinde mihi de eorundem sive incrementis sive decrementis quicquam constitit.

Paulo post Mageιri uxor Johanna Graseccia matronalis exempli foemina lue populari ac cum ea omnis prope mariti felicitas extincta est. Cumque is Deredingam secessisset, ab amicissimis desertus, Christophorum Besoldum atque me prope unos habuit, qui inviserent. Cujus occasione inter eundum amicitia arctior inter nos coaluit, quam Besoldus omni postea tempore continuavit et beneficio fovit. Jam Gallicae linguae studium aliquod contuleram, quod ille, qua institutione, qua librorum commodatione plurimum auxit. Ac in Bartasii [52]) poëtae principis septimanis interpretandis ac convertendis aliquid ausus eram, quod quia ab aliis longe felicius praestitum reperi, libens deserui. Interea disputationi theologicae defendendae accinctus eram et materiam Veritatem religionis christianae delegeram, conductu Andr. Osiandri, cujus tum convictor cum Truchsessiis eram. At serpente luis contagio et jam grassante, academia secessum meditata, hospitium Herrenbergae et Calvae reperit. Ego Galliae vi-

sendae desiderio accensus facile colorem inveni, ut me subducerem. Nam ex alumnis Henricus jam militiae sub Marchione Badensi nomen dederat, Burckardus nihil minus quam eruditionis spem de se praebebat. Itaque bona patris, qui avo patronus successerat, gratia et mutuo amicitiae pignore, me hoc ligamine solvi, non minus tamen posthac omni vita benevolum sensi. Cujus recordatione non abstineo, quin aliquid addam memoratu dignum. Afflixerat Joh. Truchsessium jam inclinata aetate renis unius exulceratio, quae nequicquam adhibitis medicis et chirurgis, in lumborum putrefactionem et ingens vulnus exarsit, ut corporis penetralia cum multa tabe paterent. Malum ingens, diuturnum et summi doloris, sub quo vivere posse multis miraculo fuit, virum haud sane malum, sed religionis indiligentiorem plane convertit, ut quod piarum meditationum et precum instrumenta conciliaverit. Nam cum de salute ejus omnes desperarent, ille concepta in Deum fide et arduis precibus sustentatus coepit et consolari se ipsum et de se melius sperare. Itaque abjecta omni humana ope in Deum unice incubuit et incredibili tolerantia auxiliantem exspectavit tandemque obtinuit. Exinde fervidus ab incurio factus, quid religioni solaminis, quid precibus efficaciae et virium subesset, praedicare non desiit, atque in rei memoriam sacellum, quod in arce habebat satis incultum, ornari pingique voluit. Haec ego coram vidi, cum virum optimum postremum inviserem Crespaci A. 1620 et bonum in longe

meliorem mutatum crucis beneficio admirarer, ac paulo post placida morte amitterem.

Cum me Gallico itineri inclinato anno dedissem, per Ulmam, Biberacum, Constantiam, Schafhusam, Bernam, Friburgum apud Nuitiones concessi Lausannam ad Lemannum lacum, urbem antiquam episcopalem, et nobili schola ornatam, nactus hospitem Danielem Surienum, Baronem Morantium cum convictoribus aliis Bernatibus, duobus Erlachiis, Negelino, Majo eorundemque paedagogo, virum integerrimum latinitatis utcunque peritum. Cujus frater, quod arma Wolfgangi principis Bipontini olim secutus fuisset, nonnihil germanicae linguae retinuit, et non minori quam ille benevolentia me complexus est, postea etiam opportuna commendatione ad Genevenses juvit. Hic Fabritium celebrem illum chirurgiae restauratorem aedibus contiguum congerronem habui, et negligentius aestimatum animadverti. Transacta hyeme et vere appetente, Genevam veni, quae ob novos Sabaudi motus in periculo et Helveticis auxiliis juvanda fuit. Auspicato Johanni Scaroni ecclesiastae conciliatus sum viro germani pectoris et sanctae oeconomiae, peregrinationibus etiam et diversis linguis exculto, caetera sophisticae theologiae minus experto. Reperi eum in multis dissensionibus nostris peregrinum, a durioribus etiam opinionibus et sententiis alienum. Adhucdum A. Faius et Simon Goulartus vixerant admodum senes, juniores iis Jacomotus et Johann Theodatus, e quibus hic plurimum florebat. Jac. etiam Lectium ur-

bis syndicum novi et perorantem audivi, cum Henrico Magno, Galliae regi justa solveret. Reliquorum non memini. Dum Genevae essem, notavi rem magni momenti et cujus non tam memoriam quam desiderium nisi cum vita nunquam posuero. Nam praeter perfectam reipublicae liberae formam atque curam, peculiare ornamentum et disciplinae instrumentum urbs habet censuram, qua in omnes civium mores et minutissimos etiam excessus hebdomatim inquiritur, primum per inspectores vicanos, dein seniores denique ipsum senatum, prout rei atrocitas aut delinquentis vel duritia vel pertinacia exegerit. Hinc prohibentur omnes dejerationes et execrationes, aleae et chartarum lusus, lascivia, petulantia, rixae, odia, doli, fraudes, emulsiones, commessationes, luxus, protervia, socordia, bilis immodica, rusticitas, nedum majora flagitia, quae propemodum inaudita hic sunt et insolita. Quae morum castimonia, mirum quam decori sit religioni christianae, quam conveniens, quam propria, ut eam nobis abesse atque plane negligi omnibus lacrymis deplorandum sit, et ut restituatur, bonis cunctis allaborandum. Me sane nisi religionis dissonantia arcuisset, morum consonantia aeternum devinxisset, adeoque omni nisu exinde studui, ut tale quid nostris ecclesiis conciliarem. Sed nec minor quam publica hospitis Scaronis oeconomiae modestia erat, assiduis precibus, lectione sacra, dictorum factorumque verecundia, victus et amictus temperantia ornatis-

sima, ut innocentius ne in paternis quidem aedibus unquam vixerim.

Geneva excedens comite Theodato theologo, praeter multas alias linguas germanicae etiam peritissimo, qui colligendae stipi sacrae emissus erat, veni Lugdunum, quadragesimalem ibi supplicationem admodum solennem intuitus, ubi dimissus cursoria peragratione Lutetiam et primaria alia loca vidi, inde Galliam deserui et ad penates respexi, flexoque iterum ad Helvetios itinere Tigurum fama loci motus invisi, literarum cultu moribusque quam rectissimis prae aliis ornatam reperi et Basileae Rauracorum substiti. Innotui Joh. Jac. Grassero [63]) theologo polyhistori, et Casparo Bauhino celebri anatomico, qui cum paucis substiterant, postquam lues popularis immane saeviisset et omnia coemeteria opplevisset. Ex iis unum mortis choream per ambitum visendam exhibet opere nobili Johannis Holbeinii pictoris suae aetatis primarii, qualem etiam Bernae vidisse memini arte non impari. Plateri etiam medici elegantias et naturae artisve insolita tueri, non indignum fuit.

Redii demum per Friburgum Brisgo[v]iae, Villingam nostra clade nobilem et Rotwilam imperiali dicasterio insignem, domum, vario Gallicorum ingeniorum foetu oppletus, etiam liberius in bibliothecam Besoldianam, ut quae omni talium autorum genere abundaret, admittendus.

A reditu primum fuit, ut Mageιri mei nuptiis secundis cum Margaretha Kielmaennia contractis mi-

nime secundis interessem Stuttgardiae, cujus infelicitatis nescio an non omen fuerit grex porcorum [64]), qui hospitum seriem ad fani sacra procedentem plane interturbavit. Quicquid ejus est, viri optimi fortuna omnis ab impuro hominum genere propemodum eversa est, cum foeminae luxuriantis thorum contaminante, tum culpam vel tegente vel elevante. Imo postquam tandem jure agendum esset, hinc potenti familia adversante, illinc propinquis et amicissimis deserentibus, jam succumbendum annis, impensis et dolore fesso, innocenti erat, nisi Deus patefacto scelere opportune succurrisset. Non tamen ego cum Besoldo me subduxi, sed qua famae viri custodia, qua apud amicos em[in]entiores intercessione visus sum nonnihil opis contulisse, ob id etiam ab invidis notatus et deteriore loco habitus, didici hujus exemplo, quantum vis et jus differant, exigua literarum transpositione dissimiles voces, prout in grammaticos incidunt.

Tubingae quartum restituto vitae nova subsidia quaerenda erant, quae supra spem subito et optato obtigere. Nam conductus sum studiis Philippi Eberhardi Gemmingii, Rappenaviae et Buttenhusae Domini, filii quam modestissimi, patris qui consummatae virtutis vir erat, aemuli. Ad quem missus Rappenaviam in Craichgoiam prope Wimpinam sitam, nimis quam liberaliter habitus, et stipendio in speciem mediocri, re ipsa vero, quam unquam antea acceperam, lautiori devinctus sum. Omnia hic ad nutum erant, patronus praeter raram pietatem

et oeconomiae harmoniam, literarum et aestimans et ipse satis peritus. Alumnus indolis elegantia, morum amoenitate et obsequio plane optabilis. At in hac mea quasi felicitate me febris tertiana corripuit ab anno 1604. quo primum impetierat, abstinens, ac iterum novem septimanis duriter exercuit. In accessu morbi lethalis videbatur, sed cura medici Wimpenensis Ziegleri cohibita, mitius habuit. Invisebat subinde languentem ex eadem vicinia Johann Erhardus Cellius loci pastor, exacti judicii et rarissimae eruditionis cum magna civilitate conjunctae theologus, post Esslingam translatus, cum quo ut ante, ita et post arcta familiaritas et nunquam absque usu conversatio fuit. Cum mutare aërem valetudini conferre videretur, patronus insigni donario ornatum Tubingam praemisit, dum filius subsequeretur. Convictus et habitatio mea suggestione et patroni consensu apud Hafenrefferum eligebatur, et ipsum admodum auspicato. Non enim convictorum, ex quibus quaestus quaeritur, sed filiorum et familiarium loco habebamur, cum nemo alius admitteretur. Sed etiam equum, qui me ex Galliis extulerat, patronus aluit dum venderetur, nihilque non fecit quod vitae munus mihi commodum redderet. Paciscebatur etiam mecum, ut pro iis, quae extra dimensum insumerentur, thalerum hebdomatim acciperem. Quae res utrique profuit, nam et nos ordinario cibo potuque propemodum acquiescebamus, nummosque lucri faciebam, et ipse hoc impendio nostram sobrietatem libentissime redimebat. Tandem

hospes et pater noster exoratus, Georgium Christophorum Schallenbergium, equitem Austrium nobilissimi ingenii juvenem, adjunxit, demum etiam Marcum Paradeiser baronem Carinthium cum praeceptore Elia Zetschio Misnio, sed non nisi uti patroni jussu convenerat, consentientibus et citra fraudem nostram addidit. Nec profecto modestiae et temperantiae quicquam detractum, liberaliori conversationi et honestae hilaritati etiam haud parum additum est. Hospes minime morosus tamen patris, vel si mavis philosophi loco nobis venerationi fuit. Nulla mensa dictorum factorumque memorabilium condimento caruit, quae symbolae nobis studiose conquirendae fuere. Hae collationes Turbonem cum aliis genuere, postea natos. At dum omnia mea quasi in portu sunt, subita tempestas me obruit atque propemodum demersit. Nam patroni uxor Anna Catharina Rotensteinia matrona tanto marito digna, brevi sed acuto morbo extinguitur 1611. 3. Octob. Ipse contagio an dolore ingenti incertum, post 23 dies sequitur, cujus exequiis interfui, at verius sortis meae funus duxi. Mortuum veris lacrymis et ingenuo encomio [55]) deploravi. Caeterum alumni curatores negarunt sibi licere in equum meum, in hebdomadalia extra et quae alia patroni munificentia concesserat, pupillo insumere, quod supra nobilis adolescentis sortem esset, itaque 40 salarii florenis pactis cum convictu acquiescerem. Non placuit haec insolita tenacitas, et dissimulato dolore consilia mecum agitavi, quibus

me ab hac functione expedirem. Substiti tamen adhuc per trimestre, a quo per Andream Baierum solutione omnium, quae patronus promiserat, integra, liber 1612 mens. Febr. factus sum. Interea conversatio familiarior cum Hafenreffero continuata et in me privata paterni affectus specimina collata sunt plurima. Nunquam intermittebat avi pariter patrisque mei virtutes praedicare, sed et merita patris matrisque in se profiteri minime dubitabat. Quibus stimulis haud dubio me in recti via promotum suisque (ut aliquando talionis meminissem) conciliatum voluit, cujus me reum sponte agnosco. Inter alia colloquia cum pia, tum erudita recordor mihi injunctum, tres historias scriptis mandarem, quas a meis accepisset, indignas quae posteritati perirent. Fuisse, cum avus adhuc Tubingae diaconatu fungeretur ac in re admodum tenui esset, lue populari grassante, quod et ipse cum uxore et liberis aliquot corriperetur, quibus humanae opis parum adfuerit. Advenisse tamen Leonhardum Fuchsium celebrem medicum, qui cum per scamna et pavimentum prostratam egenam et singultientem turbam reperiret, nihil salutis aut solaminis praemisisse, sed diras omnes et execrationes multo verborum ambitu et gestuum vehementia evomuisse: ad quae cum avus contremisceret et ut misereretur opis suae, non jurgiorum indigorum, deprecaretur: hoc ergo illud est, Fuchsium dixisse, cur scelesta illa animalia et trifurciferi monachi et sacrificuli matrimonium abhorrent et nullo suo periculo libidinantur,

ne hoc crucis Christianae durum exercitium subeant. At illos mala crux pessime perdat. Vos vero Christus misellos qui inter vos est, vivit, regit, habitat, sospitet et servet. Enim vero haec domus Dei est, quam ille sic invisit, digna cui omnes boni accurrant et opem conferant. Inde ad aegros conversum omni humanitate fovisse artisque peritia sanos omnes reddidisse, dum vero curaret, opulentiores ad ferendam stipem solicite et magno languentium subsidio conciliasse. Hujus ajebat Hafenrefferus, avum saepe inter amicos cum multo honore Fuchsii, meminisse, ac se mirari, cur literis nunquam proditum sit. Secundam a patre meo acceperat. Avum cum valetudinem acidulis Übenhusanis (quem ille locum quondam 1559. Christo lucrifecit) curaret, exoratum esse, ut ad populum sermonem haberet. Adfuisse etiam patrem meum (valetudinis causa) tum Herrenbergae pastorem. Cum dies dominica venisset, nihil praemeditatum suggestum ascendisse et gravi elegantique oratione se expedivisse, post patrem meum interrogasse, ecquid de hac concione sibi videretur. Cumque pater sive verecundia sive conscientia laudasset, illum indignabundum: non te pudet nugari, dixisse, quasi angi me et haerere, ac prope modum de suggestu fugam parare non animadverteris. Ego tot annorum Doctor, conventuum et colloquiorum pars, a tot viris Principibus auditus et in concione eruditorum variique ordinis innumera versatus, nunquam animi deliquio et stupori plane, quam inter hos rusticel-

los propior fui: adeo me omnis divina prope gratia deseruit, quod plebem hanc simplicem negligentius haberem et praemeditationis accuratioris non indigam. Tu vero fili cave et meo hoc periculo sape, ne unquam nisi praevia meditatione et piis precibus ad populum Christianum verba facias, sed capitis et tot sacrorum membrorum reverentia, anxie et circumspecte officium facias, alioquin violati adyti poenas, a quibus ego parum abfui, incursus. Ecquod perpessus sit avus, nemini constitisse, repetiisse tamen hanc animi consternationem etiam alibi: quam dignam Hafenrefferus putavit, quae juvenili temeritati, aut profanae etiam quorundam securitati objiceretur.

Tertiam ab ipso avo excepisse retulit, cum novitios ecclesiastas a nimia confidentia dehortaretur. Fuisse quondam juvenem vocatum ut facinorosi cujusdam supplicio ob multas caedes destinati solatio adesset, atque in profundum carcerem fune demissum. Post multos sermones ultro citroque habitos in mentionem divinae providentiae incidisse, cujus voluntate jam morti reus expositus et traditus esset. Hic latronem torvum videre et in carcere circumspicere. Inde, item tu, si quidem jam tibi gulam frangerem, id providentiae Deine esset, non sine minis dicere. Se vero angi, tremere, tandem animo quasi a Deo reddito mascule respondisse: si quidem ita jam accideret, omnino Dei providentiae erit permittendum; futurum vero, et id tibi permissurum Deum minime puto. Qua animi prae-

sentia conterritum manum abstinuisse quidem, caeterum documento ipsi aeterno fuisse, ne porro in hasce angustias se cum desperato committeret, quod suo exemplo ab aliis observari velit. Addam ego quartam historiam atque mea sponte. Solebat Hafenrefferus matrem meam supra foemineam sortem mirifice extollere, non nisi viraginem appellitans; inter plurima hoc non postremum laudis habuit. Cum Herrenbergae aliquandiu patri meo convixisset, uxorem duxit Agatham, Magni Johann. Brentii filiam, Spindleri viduam, aliquot orphanis onustam. Hujus paulo post juvenem atque eruditionis laude tumidiusculum poenituit, quod alibi forma comptior et dos amplior, quae neglexisset, exprobraretur. Inde humanitus quid passus, profundum dolorem animo coquere, uxorem minus aestimare, sordius vivere, solitudinem quaerere. Non fefellit matrem, quae primum foeminae patientiam et sanandi mariti moram persuasit, dehinc aegrum animi aggressa nequaquam molliter habuit: tune, ajebat, et sacris addictus et eruditus creditus, tyro adeo es, ut quam sis fortunam nactus etiamnum nescias. Uxorem ex optimis natam, optime educatam, optime quondam nuptam, nondum agnoscas, nedum magni facias? Pudeat ducere, quam nescias pro meritis et ex oeconomiae usu habere, plane indignus, cui ex ancillis meis una nubat. Prioris conjugii benedictionem et soceri laudem tu jam possides, ingratus, ni Deo id uni, praeter meritum tuum moresque crudos acceptum feras. Hujusmodi exprobratione et tum

plurimum pudefactus et postea longe magis delectatus est Hafenrefferus, postquam uxoris commodissimae virtutem est expertus. Nec abstinuit, quin matrimonii sui concordiam et aestus maligni averruncationem post Deum matris fortitudini tribueret, hoc subinde addens, a nullo unquam homine liberius increpitum, penitius detectum et restitutum fuisse felicius. Nec desiit unquam inter titulos et honoratum senium suum matris nomen dare, libertatem animi ferre et obnoxium animum palam contestari.

Haec tum mecum Hafenrefferus. Praeterea mathematicis elegantiis, cujus callentissimus erat, multum succisivi datum; astrolabii nempe, trientis, quadrantis et sciot[h]ericorum fabricae, atque eorundem usibus indagandis. Tum latinae hebraeaeque linguae, quas in deliciis unice habebat, ornatui et proprietati plurimum impensum. Cum etiam templi Ezechielis structuram oculis exhibere satageret, mea opera in conficienda tabula geographica tum optice sistendis templi delineationibus usus, sibi nobisque voluptati fuit.

Cum in Italiam iter decrevissem, cujus linguae primordia jam Besoldus indefesso studio contulerat, Austriam etiam perlustrare visum est. Itaque nummis, quos ex Gemmingiano stipendio et patroni liberalitate collegeram, apud Hoelzelium depositis, ac ut tantundem vel plusculum etiam, si opus esset, a creditoribus ejus vicissim reciperem, simul etiam quas rationes satis implicatas acceptorum et expen-

sarum habebat, extricarem, rerum omnium securus abii, sed quae res mihi postea fraudi fuit. Commendarunt etiam de meliore nota proceribus Austriae, Magεtrus quidem Georgio Acacio Enenkelio [56]), Hafenrefferus vero Ludovico Hohenfeldero, patriae suae rarioribus ornamentis, quorum illum non vidi, hic vero plurimum profuit. Ulmae conscensa navi Martio mense recto Danubio Lavingam praeterii, Donawerdae diverti, ubi quos convictores habui milites, mersa navi praeter unum in cunis vagientem infantem suffocatos Ratisbonae et ad ripas reperi. Perlustrato Ingolstadiensi Athenaeo et Passaviensi episcopali cum Lincium venissem 24. Martii, Daniel Hizlerus [57]) affinis, diserti oris et recti cordis ibi theologus hospitio liberali excepit. Postea Ludovico Hohenfeldero conciliatus in ipsius familiam concessi. A quo porro conductus duorum fratrum Marci et Ottonis solennibus lustricis Almeccii et Aistershemii interfui, apud hunc etiam aliquandiu substiti. Denique ut quod in me receperam expedirem, ad Wolffgangum et Christophorum fratres Peurbachium translatus magna benevolentia acceptus sum, sed quam paulo post interpellavit, qui Hoelzelio pessimus omnium consuluit.

Mutato igitur animo et voluntate, cum frustra essem, ad Ludovicum redii multum fratris lentitudini succensentem, et ne aegre ferrem, mitigantem. Qui etiam ne impediretur iter meum spreta Hoelzelii sub mea fide 300 florenos aureae ac Venetae monetae credidit equumque quo commode veherer,

addidit, insuper de comite Joh. Erhardo Stengelio a Walenfels circumspexit et liberaliter dimisit. Erat tum ipsi filiolus primogenitus Ehrenreich festinae*) indolis, cum puella in cunis, de quo ad annum 1619 amplius. Egressi Lincio 27. April. per Carinthiam venimus 15. Maii Venetias, molesto satis ob frequentes pluvias, sed et periculoso itinere. Nam circa Clagenfurtum nobile oppidum et Villacum a praedonibus quos Banditos vocant, circumacti, multum temporis et sumptuum perdidimus, donec per montium angustias sive clausuras Trevisium penetraremus. Venetiis quas Microcosmum facile dixeris, tum Ascensionis solennia parabantur, quibus mare despondetur rei publicae operosa pompa, quam vidimus 21. Maii. Interea perlustratis quae in hoc orbis theatro frequentissima sunt, inprimis thesauro rei publicae immenso in fano D. Marci palam exposito, palatio ducali, armamentario et navali, etiam vitriariis officinis Murani, concessimus Patavium, locum mea opinione longe amoeniorem. Dum illuc iremus, cum Adamo Flussart equite Austrio comitis cognato, parum a submersione abfuimus. Patavium studiorum sedes electum nos aliquandiu habuit in vico putei depicti, hospite vidua. Informator linguae contigit Abrahamus Copenius Germanus, vir bonus. Comes chelyis lusu et palaestrica se oblectavit, mihi agilitas in equum subsiliendi corpusque rotandi arri-

*) Cod. A. B.: festivae.

sit. Dum hic essemus patroni urbis Antonii Paduani, quem Sanctum vocant, encaenia plane regia celebrata sunt, multo auri argentique pondere circumlato. Certamen etiam cursus equestris et pedestris jucundissimum exhibitum. Palatium sive praetorium hic maxime visendum est, antiqui ex marmore operis. Cum loci taedium cepisset, secessi Vicentiam ubi comitem remisi. Nec hic erat cur diutius subsisterem. Igitur Veronam diverti 9. Julii, quae minus strepitus quam Patavium haberet, et tamen non minus studiis faveret et plurimum conferret. Urbs itidem antiqua et spatiosa, ac in hospites propemodum germanae humanitatis. Hic amphitheatri molem, quam nunc arenam vocant, non sine stupore saepe contemplatus sum. Sunt etiam Scaligerorum mausolaea, quae sub dio visuntur, memoratu digna. Verona per dispositos equos Romam 20. Julii excurri, ne orbis quondam, nunc scelerum caput videre negligerem. Sed paucis diebus ingenti aestu repulsus, eadem celeritate recurri. Quid ibi videatur, pleni libri loquuntur, at me jam tot spectaculorum fastidium tenet. Inde morbo febrili, qui etiam Paduae pulsaverat, sed inediae mihi indictae cesserat, territus, ad reditum in patriam animum appuli, et per Tridentum, Brixiam, Oenipontem et Landspergam Augustam Vindelicorum attigi, ubi velut in umbra post ingentem calorem canicularum conquievi. Est ea urbs genuinae humanitatis et religioni admodum dedita, ubi Werneri Seuteri quondam reip.

jurisconsulti familia, Andreanae dudum connexa, hospitaliter habuit; fuisset etiam cum ea conjugium contractum, nisi diversum vitae genus separasset. Hinc Lavingam pertransii et Heilbronnerum meum cum amicis ultimum salutavi, jam de imminente mutatione solicitum, post tamen placida morte praereptum. Heidenheimii apud sororium Brauchium loci praefectum substiti, ubi Philippo comiti Oetingensi conciliatus plane in deliciis habitus sum, multum stomachanti, quod a sacro ordine quo me anhelare intellexisset, avocare non posset. Post verso animo concionibus in arce Hellenstein adhibuit, et aliquoties non tam audivit, quam in reformanda solutiore vita obsecutus est. Tantum valet hujus an illius vox, et animorum consensus atque electio plurimum. Delectabatur comes linguarum peritia et mathematices industria, quibus delinitus abstinebat a voluptatum illecebris, quas postea desuetudine abhorrebat. Poteram etiam hic rebus meis consulere, sed me jam rerum terrenarum satietas ceperat, et quod in Italia Deo voveram, ut ecclesiae me quam primum sisterem, liberandum duxi. Itaque in aulam Würtembergicam ad Matrem me recepi, cujus princeps Johan. Fridericus me clementissime complexus coram ac sponte ad suscipiendum aliquod politicum munus invitavit. Sed cum intellexisset diversum consilium meum atque desiderium, liberalissime est assensus. Id erat, quod cum me sensissem divagationibus meis a recta studiorum sacrorum methodo avocatum et plera-

que institutionis theologicae memoriae multum distractae excidisse, ne illotis manibus in ecclesiae sacraria irruerem, exoravi, ut dum me colligerem, Tubingae aliquandiu principis sustentatione subsistendi mora concederetur. Id cum post rev. consistorii explorationem [58]), per Christoph. Binderum insignem theologum factam, ubi me plurimum collaudasset Johann Magειrus tunc praepositus longe dignissimus, consultissimum esset visum, ita in me collatum est, ut in illustri stipendio Augustiniano Tubingae libero atque eodem cum Superintendentibus convictu alerer, dum ecclesiae locus vacaret. Etsi vero aliena invidia et fraude mensa mutata et apud Repetentes sive inspectores Magistros assignata mihi est, felicius tamen quam pro opinione cessit. Convictores contigere, quorum meminisse juvat, Johann Jacob Heinlin, David Hafenreffer Matthiae filius, David Bab, Samuel Martini, Conrad Kaemlin, Johann Canstetter, Daniel Osiander, dehinc etiam Johann Spindler et Wilhelmus Schiccard, ac cum iis N. Sattler Wolfenbütelensis, ejusdem mecum liberalitatis hospes.

Tubingae quintum constitutus primum erat, ut locos theologicos [59]) in memoriam revocarem, cujus occasione summa illa doctrinae christianae concinnata est ac anno post edita. Dein ne publice perorandi facultas deesset atque usus, Sulzae ad Neccarum, ubi sororius Sebastianus Hesch patriae medicus degebat, ejus rei frequentius periculum feci, nec pro populi sensu displicui. Deerant in-

terea ad vitam honeste degendam haud exigua, victus quidem ad satietatem sufficiebat, sed neque palato sapiebat, nec conducebat debiliori stomacho. Habitatio cum Christophoro Wellingio cognato erat percommoda, multum id de me cum piissima uxore merito, nisi postea aliquot centenorum florenorum damno hoc beneficium mihi stetisset, quibus me homo perditus an perfidus emunxit. A matre nihil exspectandum erat, quae sibi officio defuncta, me etiam consentiente, videbatur. A proximis et amicis nihil opis; ergo aliunde Deus prospexit. Comitabar Christoph. Besoldum et Abraham Hoelzelium in acidulas Griessbaccenses [60]), sive valetudine sive paupertate poscente. Cum ibi essemus, aliquot studiosi nobiles Tubinga adveniunt, ex quibus tres fratres Guldensternii cum magistro Joh. Aquivalleno, Nei[d]hard Abenbergius cum magistro Paulo Brücknero, Petrus Falckius, Achatii et Thuronis Axeliorum a Gecksholm Sueciae regulorum magister, et qui omnium felicissime contigit Wilhelmus Wensius [61]) nobilitatis apex. Cum iis, ut solet, post potum corpus exercebatur acciditque, ut Italicae meae super ligneum caballum equitationis meminissem. Inde mox equus confectus et artis meae specimen multis spectatoribus exhibitum. Hinc juvenes insilire, subsilire et tota die miserum pecus premere. Tandem convenit, ut a reditu Tubingam hujus exercitii non illiberalis, nec inutilis palaestram aperirem. Haec ludicra praeivere, sed successere seria. Wensius cum animad-

vertisset me matheseos non ignarum, ipse hanc etiam peritiam eruditioni suae multiplici jungere sategit pollicitusque est socios studiorum plures adducere. Accessit et aliud atque religiosum. Nam cum Griessbachii tum religioni nostrae interdictum esset, caeterum magnam varii ordinis hospitum turbam taeduerit feriatis diebus nulla sacra facere, facile mihi persuasum est, ut ecclesiastae personam susciperem, cum tantae concionis autoritate et praesentia sublevarer. Erant autem post illustriss: principem Badanam virginem sponsam ejusque cognatam comitem Hanovianam, etiam virginem, cum aularum comitatu splendido, viri nobilitate, eruditione, rerum usu conspicui et multi suo loco percelebres, cum familia, omnes maximo numero, qui ornatissimam ecclesiam (qualem nunquam post habuisse memini) conficerent. Adfuit etiam diversae religionis Truchsessius Baro Waldtburgius, auditor nequaquam injurius. Ad hos tales sum ausus loqui, atque ut testabantur suffecisse, nunc mihi pudori magis est et admirationi, quam ut laudi ducam. Quid enim non audet et sustinet juventus fautoribus subnixa et laudis stimulis acta? Non tamen poenitet obsequii, quod inde alii succederent, qui sacris fungerentur et in hunc diem obtinuisset, ut nostra sacra hospitibus concederentur. Dimissus tandem cum eleganti honorario, ut primum licuit, exposui operam meam lectissimo collegio, cujus membra Johann Henricus Offenburgius dicasterii assessor, Christophorus et Geor-

gius Besoldi fratres, Wensius, Falckius cum alumnis duobus, Georgius Christophorus Schallenbergius, Sylvester Braunschweig et Johann Jacob. Winter, Stubenbergiorum Baronum inspector erant, et quicquid curtae suppellectilis mathematicae meae erat bona fide communicavi, ex quo mea collectanea [62]) aeri incisa, nata sunt. Exinde magna consuetudo cum Offenburgio contracta, quae etiamnum durat. Arctissima vero familiaritas Wensii fuit, cujus oblivionem nulla aetas adferet. Hujus conciliatione ligneum etiam illud corpus movendi et agile reddendi exercitium institutum est, confluente magno numero nobili juventute, quae res ludicra, supra omne serium studium proficua mihi fuit. Hic mundi mos. Ego vero jam unde liberaliter viverem, imo et quibus in aere fueram, satis facerem atque in futurum mihi prospicerem, supra omnem spem meam abunde habui, cujus gratiam admirandae Dei providentiae debeo. Fecit indefessa mea opera, ut plures bene vellent atque ex nobilibus Heimburgius, Münchhausius, Egloffsteinii, alii eorundemque conductores, a quibus cum frequentius mensae in illustri collegio adhiberer, facilius frugalem illam stipendii toleravi. Sed et Hafenrefferus conversationis pristinae memor identidem convivam habuit et contra Hiemeri invidiam [63]) defendit. Non tamen impune hanc felicitatem tuli, nam me febris ardens propemodum prostravisset, nisi Hessi mei fides et peritia medica sustinuisset. Inter haec cum studiis meis sacris in

gratiam redii nihilque temporis mihi elabi frustra passus sum. Addidi etiam praeter Mart. Lutheri consummatissimam theologiam Patrum solidiorem cibum maxime Hieronymi et Augustini, nullum fere nobiliorem praetermittens, quem non degustassem, usus in eo Erasmi et Hyperii [64]) iudicio atque manuductione. Erant autem mihi propemodum omnes ex bibliotheca paterna. Ne vero quicquam vacaret, Wensii provocatione et societate horologiopaeo nos dedimus magistro, cui Matthaeo Loesch nomen fuit, artis suae peritissimo, qui hanc mechanicam industriam conferret, cujus se Wensius admodum docilem reddidit nec me operae poenituit.

Atque ita hoc ultimum studiorum meorum sesquiennium insumptum viris juxta principibus et generosis ac autoritate valentibus mihi plurimum propitiis, quorum intercessione motum venerandum principis mei consistorium noluit, me diutius haerere et obversari jam annis maturiorem studiorumque praecursu iis, quos longo intervallo post me noveram, quibus etiam praefueram, priorem, maxime cum Belgicum iter ad illustrem illum heroem Mauritium Auraicum conciliatione Onolspachini Marchionis meditari intellexisset, et nihil tale cogitantem, cum Vaihingensis ecclesiae diaconatus Joh. Ulrici Thummiiquondam commilitonis promotione vacasset, vocavit, audivit [65]) et huic stationi principis autoritate immisit finemque errorum imponere faustis compedibus voluit. Hic ergo vitae vicissitudi-

num et variarum ambagum ad aetatis usque 28. annum terminus esto, cujus puerile spacium morbis obnoxium, adolescentia, quae orphanorum sors, et egestati et servituti objecta, juventus variis et molestis laboribus et itineribus impedita fuit, fortuna plerumque novercali, penatibus quam alienigenis durioribus, amicis tamen subinde sublevantibus, ingenio ad omnes vices obfirmato. Quae res nisi calidis precibus et humidis singultibus constare non potuit. Gratias autem quam maximas Deo meo debeo, qui corporis afflictione sobrietatem imposuit, animi teneritudine pudicitiam illibatam conservavit, sed etiam intempestivi atque a scopo suo alieni connubii capistro quater injecto innocenter expedivit, luxum indigentia coercuit, curiositati amaritudinem immiscuit plurimisque aliis vitae et fortunae periculis eripuit, cujus conciliationem et mea et multorum opinione matris meae piis et ardentibus supplicationibus libens merito tribuo.

LIBER SECUNDUS.

SEXENNIUM VAIHINGENSE.

Vaihingam ad Entium amnem sitam, quo me ex itinere Belgico, quod commendatione Philippi comitis Oetingensis ad Joach. Ernestum Onolspachi Marchionem institueram, Joh. Walchius[66]) Director, cognatus providus retraxerat, vocatus, stiti me Martio mense, usus convictu Melchioris Bengelii, loci pastoris superintendentis, viri candidissimi et in me propensissimi, cui cum bibliotheca satis instructa esset, licuit mihi per otium quod abundabat eam pervolvere et quod meae deesset suppellectili supplere. Secuto Augusti secundo nuptias cum Agnete Elisabetha habui, nunquam poenitendas Boppenwilae, Josuae Grüningeri loci pastoris filia, quibus cum interesset Erasmus Grüningerus, tum coenobii Mulifontani abbas, soceri frater, ab eo tempore famae meae, quae apud imperitos rerum ex peregrinationibus meis laborabat, curam suscepit, et qui ex profano vitae genere ad sacrum ordinem subito transiliisse criminabantur, repulit, aut aliter edocuit.

Adfuit etiam non vocatus Wilhelmus Bidembachius, ratus amori nostro et tot annorum consuetudini deberi, ne festivitati meae deesset. Fuere et Henricus Wellingius senior, Abrahamus Hoelzelius et Joh. Valentinus Moser cognatus, tum urbis Vaihingensis legatus consul Joh. Buhlius ornamento, quorum hilaritate socero meo, viro omnium summe tranquillo et vegeto satisfactum est. Ipsis nuptiis nuncium intervenit de Grüningero ad praepositurae[67]) apicem evecto, quod inter auspicia mea retuli, et rebus meis profuisse sum expertus.

Inchoata oeconomia primum fuit, ut matrem ab obitu herae principis Sibyllae[68]) Anhaltinae liberali rude donatam ad me reciperem, quae suaviter ad sequentis anni Septembrem mecum vixit, quo tempore ab Anna filia, quae in re lauta esset, sedem in Heidenheimium usque ad generi mortem **1620** transtulit indeque ad me rediit. Dein cum post ecclesiae operas plurimum vacaret nec tutum esset cum hominibus, qui acerbas inter se lites, contentiones et simultates exercebant, conversari, animum ad commentandum aliquid appuli, et excussis scriniis meis aliqua interpolavi, aliqua auxi, plura vero adjeci et praeter lucubrationes nullam diem sine aliqua scriptione abire passus sum. Jam in lucem Tubingae prodierant Collectanea mathematica, Summa doctrinae christianae ex Hafenrefferi mei compendio extracta, Panegyricus Schermario dictus, Vocationis[69]) syntagma et quaedam r[h]ythmica[70]), quibus accessit Cosmoxenus a Johanne Stoffelio Hericuriae

praefecto nobili, me ignaro, typis Montispelicard commissus, qui cum cordatis non displiceret, socium provocavit Herculem Christianum, Christ. Besoldo inscriptum, quo Tobiam Hessum quem palam laudare non licebat, per involucra expressi, et Christianismum genuinum. Fuit et Hercules eruditis voluptati, e quibus Eilhardi Lubini[71]) theologi magnus plausus fuit, qui cum me certatim invitarent, juvenili confidentia majora ausus Turbonem in forum abire passus sum, qui pridem in aedibus Hafenrefferi ipsoque manuductore natus et nominatus, hactenus mecum latitaverat. Prodiere simul Axiomata[72]) Besoldi theologica, mihi inscripta, cum Theca gladii Spiritus, Hesso imputata, plane mea. Successit demum post unam alteramque ad fraternitatem Christi Invitationem ludibrio illi Rosencruciano oppositam, ille plenus invidia[73]) Menippus, liberae sed innoxiae linguae foetus, qui cum tam cordatis allubesceret, quam pungeret vecordes, diversa admodum sorte exceptus est, cum boni ingenuam errorum nostrorum confessionem admitterent, mali male sibi conscii ad suam injuriam revocarent. Qui bilem suam contra effuderunt, viri optimi et innocentissimi, ridiculi fuerunt, sed ii profecto ab aliis instincti, quibus conscientia trepidabat, aut livebant invidia, os et calamum commodarunt, quos nihilominus omni posthac vita reverenter habui, uno scurra excepto, qui sub alio tegmine laceravit optime de se meritum. Caeterum quod Deum sancte testor, non ea mihi insectandi petulantia fuit, aut no-

cendi ulla libido, quam declamitatores aggerebant, sed quod christianam causam animo fervide foverem et quovis modo promotam vellem, quod cum plana via mihi negaretur, per ambages et cuniculos persequi conatus sum, non scoptico, quod aliquibus videbar, genio, sed ea arte, quam pii multi adhibuerunt, ut per lusum et ingeniosa allectamenta seria agerem et Christianismi amorem propinarem. Is mihi scopus, id consilium fuit, quod si non satis circumspectum, aetati minus maturae et tot stimulis incitatoribus imputetur. Sane ut primum multis aegre facere morborum nostrorum tractationem animadverti, ipse dolui et extinctum volui canem, sed qui curiositate obstetrice hoc ipso denuo revixit et aliam sobolem, quae profecto aeternum sepulta jacuisset, excitavit[74]), cujus gratiam unis obtrectatoribus debent, si quid unquam gratiae invenerunt. Primus autoritate sua hos murmuratores compescuit Wilhelmus Remchingius, supremi dicasterii praeses, vir morum sanctimonia, an eruditione rerumque usu et generis praestantia nobilior, incertum, cui Cive meo Christiano dedicato, ob id qualescunque gratias persolvi, cum annum ante jam Peregrinus Besoldo sacer, oberrasset et Libertas Christiana sub auspiciis Hohenfelderianis comite Bona causa et theologiae Encomio lucem aspexisset. Remchingium imitati collegae assessores nobiles Burkhardus Weiler, Joh. Henr. Offenburg, Henricus Schillingius, tum Jacobus Nothatt et Fridericus Plieningerus duo nobilitatis verae lumina su-

stinuerunt, ut puderet insectari, qui tantis viris placeret, et hoc ipso redderetur commendabilior. Non defuit etiam fides Bidembachii certa et explora[ta] rebus turbatis, qui quod minus paedagogiae subjectus esset meum in se periculum facile provocavit. Certe et Hafenrefferus ipse ac cum eo majoris animi plures in sinum risere cum ringi molliculos et flere mulierculas audirent, et quo magis solutum aliqui amicitiam, hoc strictum bonae notae et sanctae fidei viri ivere, cujus et antecedentia et pone sequentia specimina apponere libuit.

1. In album amicorum meum.

Matth. 6. Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus et haec omnia adjicientur vobis.

Reverendi et clariss. viri D. Joh. Andreae, illustris: principp. Würtemberg. D. D. Ludovici et D. D. Friderici et consiliarii et monasterii ad Regiumfontem praesulis dignissimi, Dni. compatris et parentis sui reverenter colendi, optimae spei filio, paternarum avitarumque virtutum studioso aemulo, Johanni Valentino b. artium Baccalaureo, in amoris contestationem scripsit

Matthias Hafenreffer D.

13. April. 1603.

2. Locos theologicos suos.

Pietate et doctrina praestanti juveni D. Johanni Valentino Andreae, cum in inclyta Tubing. academia, 6. Febr. 1605 bonarum artium magister renunciaretur, sincerae gratulationis atque ut avitas paternasque sanctissimas virtutes strenue consectari

pergat, devotae comprecationis ergo hunc libellum offert

Matthias Hafenreffer,
die quo supra.

3. Horologium principum[75]).

Doctissimo pietate et doctrina praestantissimo viro domino M. Johanni Valentino Andreae affini et fratri suo charissimo, cum avitae paternaeque in se Andreanae benignitatis et benevolentiae grata memoria in sui memoriam et grati animi testificationem offert

Matthias Hafenreffer,
8. Febr. 1612.

4. Templum Ezechielis suum.

Venerando pietate et doctrina praestanti juveni viro, dno. M. Joh. Valentino Andreae rev. et cl. viri dm. Joh. abbatis Regiofontani dignissimi dni. compatris mei honorandi et charissimi filio, magni illius theologi Jacobi cancellarii et professoris in academ. Tubing. celeberrimi nec non ecclesiae ibidem praepositi vigilantissimi nepoti, ecclesiae Vaihingensis diacono fidelissimo, in amicitiae et affinitatis symbolum hoc templum Ezechielis commentariorum auctor offert

Matthias Hafenreffer D.
p. t. acad. Rector 30. April. a. 1614.

5. Testamentum Graeco-latinum suum.

Pietate eruditione et doctrina praestantissimo viro dom. Johanni Valentino Andreae, ecclesiae Vaihingensis diacono fidelissimo, dno. amico affini et in Chri-

sto fratri dilectissimo hoc N. T. Graeco-latinum fraterno affectu et studio offert

Matthias Hafenreffer D.
1. Febr. 1619.

Sub id temporis supra omnem meam exspectationem obtigit, ut quem ego ob summam ingenii felicitatem et insolitam eruditionem jam diu suspexeram, illustris vir Georgius Achacius Enenkelius Baro Hoheneccius, sponte amicitiam suam offerret, meam elegantissimis literis provocaret, quarum haec verba fuere.

S. p. Christum. Nihil esse amabilius virtute, nihil quod magis homines alliciat ad diligendum, cum propter illam eos etiam quos nunquam vidimus diligamus, Cicero ait: id mihi erga te vir doctissime evenisse dicerem, nisi meliorem tui partem, animum inquam, singulari eruditione, judicio, candore ornatum in libellis tuis jam pridem vidissem. Itaque ut vidi te, ut amavi, et abs te amari et in familiaritatem tuam insinuari desideravi. Quod ut nunc incipere decretum mihi, ita pridem fecissem, nisi nescio quid viam mihi incertam et difficilem reddidisset. Adeo autem ad te per amicum communem, clarissimum inquam Besoldum, quem ut abs te amari scio, ita me ab illo re ipsa et factis experior. Accedit, quod tute aditum jam olim omnibus aperuisti, imo omnes admiratione doctrinae pietatisque invitasti. Adsum igitur et me in eorum numerum referri peto, qui te amare, colere tuaque eruditione et doctrina in melius proficere cupiunt. Quod ut unice desidero, ita scripta tua

quae quidem ad me pervenerunt, huc tendere, huc comparata esse intelligo. Quorum causa et gratias tibi pro mea parte ago et ut porro hoc genus docendi et bene merendi excolere pergas meque tui cupidissimum aliquo apud te loco esse patiaris, etiam atque etiam rogo.

Vale vir doctissime. Ex Goldeccio meo scripsi die 28. Decembr. a. 1617.

Tui amiciss. Georgius Achacius Enenkel
Baro Hoheneccius.

Huic non accurrere, non totum me tradere veluti a numine conciliato, religioni fuisset. Quem cum insequerentur Tobias Adami[76]), Michael Piccardus[77]), N. Marchtenkerus et alii rei literariae proceres, ut jam patronos et accusatores ex aequo numerarem, negligentior ad susurrones factus et aurae fidentior, Mythologiam lectionis variae mellificium, Christianopolim Joh. Arndio (qui et ipse sponte in amicitiam concesserat) insignitam et Memorialia inter amicos distributa[78]), uno anno, adjutus cum Enenkelianis tum Hohenfeld[er]ianis, quibus amanuenses sustinerem sumptibus, protrusi, quin et r[h]ythmicis sacris lusibus Besoldi conjugem Barb. Braitswertiam*) multae lectionis foeminam oblectavi.

Ac ne patriae meae ignarus in alienis oberrarem, quae a majoribus antiquitatum Wirtembergiae consignata tum ab aliis inprimis vero Bidembachio et Besoldo communicata acceperam, adhibitis in-

*) Cod. A & B: Braitschwertiam.

super Martini Crusii annalibus et Joh. Brotbeccii ac Oswaldi Gabelchoveri commentariis in epitomen redegi et rerum ante actarum memoriam in usus tantum meos revocavi. Quin et privatae juventutis nobilis et quos domi habebam convictorum Joh. Wolfgangi Moeglingi et Johann. Conradi Buhlii, ac qui toto decennio mecum fuit ex fratre nepos, Joh. Josuae Andreae, institutioni, quicquid succisivi fuit, impendi. Ne tamen absque condimento vita praeteriret, amicitiae sal adhibui. Ac superior quidem praefectus Franciscus Zornius Bulachius impense mihi favit, qui etiam filios ut paulo ante dixi, Ludovicum, Sebastianum et Nicolaum erudiendos commisit. Caeterum instar omnium erat humanitate et liberalitate Joh. Jacob. Engelhard, literis et linguis tinctus et exoticarum peritus, cujus conversatione nihil unquam dulcius fuit. Fratres huic erant Bernhardus, Michael et Jodocus, nati matre*) vidua foemina priscae honestatis et devotionis, et sororius unus Jac. Hirschmann, pari omnes in me affectu, singuli rerum usu et peritia literata conspicui. At ille, quo propior mihi eo ad vitae liberalia oblectamenta opportunior fuit. Cumque mathematicis et mechanicis elegantiis delectaretur, adjecit arithmeticae quam callebat, me conductore algebricam sive cossicam subtilitatem, ac quae alia studiorum annis praeterierat, avide recollegit. Dum etiam Würtembergicis annalibus occuparer et in Thuani

*) verisim. intell: nunc

historiarum opus Breviarium pararem, manum suam libenter commodavit. Postquam vero sacram aedem suis et opulentiorum impensis exornandam sibi proposuisset, multum illi rei sub nostra inspectione vacantis temporis tributum, sed quae omnia paulopost dirum incendium depavit. Obiit meo cordolio 8. Martii 1626. Laudatus a me elegia latino-germanica [79]).

Dum hic sum, gemina urbis magnam partem conflagratione Deus me exercuit, cujus historiam, qualem tum temporis cum amicis communicavi, hic repetere visum est. Prima Novembris, quae omnibus Sanctis veterum instituto sacra, anno post admirabilem Virginis partum millesimo sexcentesimo decimo septimo, cum illustri mandato cives Vaihingenses solenni Jubilaeo ob centenos renati per D. Lutherum evangelii annos instituto sese apparassent et sacrae synaxeos velut candidati bis centum quadraginta quinque se ecclesiae religiosa consuetudine exhibuissent, hora inter octavam et nonam vespertinam media visa est flamma ex aedibus Johannis Kieseri oeconomi Illingensis, quas genero Conrado Machtolpho inhabitandas concesserat, erumpere, cujus culpa incertum, accensa. Eae ut erant frumento plenae, ita facile igni incrementum et violentiam dabant, proximis terrorem, quod inter vicinas essent mediae. Arserant illae quondam anno 1607, sed sine majore damno et ab illo incendio novae omnino e fundamentis stabant. At jam fatali forsan civium somnolentia tardius et conclamatu et campana periculi indicium datum est.

Interea e specula, quantumvis aequo tardius, bombardae displosione vicini advocantur, cui Asperga magno fragore respondet, ac mox omnes campanae majoris templi lamentabile quid resonant. At jam flamma eheu! immane invaluerat et vicinas utrimque invaserat, hinc Aurelii Rhatgebi nuper vita functi judicis, illinc Michaelis Hemmingeri viri consularis splendidas et multa fruge refertas aedes, quas tamen, si minus vini plus ordinis fuisset ac commune auxilium accessisset, servari potuisse opinio est. Caeterum quod in tanto incendio rebus suis quisque consultum vellet et in exportandis supellectilibus singuli prope occuparentur, tum muliercularum et imbellis aetatis clamores et diffugia undique turbarent; factum est, ut dicto citius alia circum loca malum occuparit. Saeviit ergo jam non inter contiguas tantum domos, sed quod in angulo ad duarum platearum intersectionem vis ignis imperaret, plateas transgressa, undique propinquiora aedificia involavit. Nec satis miseriarum fuit, nisi etiam adversa fronte, veluti malorum centrum, totam circumferentiam aggrederetur. Tum supra omnia infelicia ventus sive turbo verius subito exortus favillarum imbre disperso palam universo oppido interitum est interminatus. Ita properante incendio, hac Sebastiani Sieskindi pharmacopolae, Johannis Machtolphi jam emortui, Johannis Bulii consulis ejusque filii cognominis Philippi Langii consularis, Hieronymi Hechti; illac Herrenalbensis coenobii granarium, Jacobi Wildii dudum

defuncti integra villa; ante Matthiae Stoederi divisae cum Laurentii quondam Finckii, Michaelis Benderi praefectorii viri binae, Henrici Weisseri dum viveret urbis scribae, juxta Johannis Rappi, Michaelis Hasi requiescentis, Tobiae Brackenhaemeri urbis praefecti; retro urbis promptuarium et quam plurima horrea, tum ad murum spatiosissima principis nostri granaria, vinaria, torcularia, quae comitum olim Vaihingensium vetusta et perampla sedes erat. Omnia haec opere et pretio magis conspicua praeter miserandum numerum intermixtarum minorum aedium ignis involvit, sepeliit, depavit, lamentabili utique spectaculo, cum desperato succursu ac interdum vix aquae situla effusa, salvis saltem corporibus omnia flammae libidini relinquerentur. Videre erat, quae paulo ante profugis velut asyla erant et variarum sarcinarum tum cunarum et ejulantium pusionum receptacula, intra paucissima momenta horrendo impetu invadi et trepidantem turbam loco pelli. Eccqua, Deus bone! matrum bajulatio! quae patrum in extrudendis liberis festinatio! quis tam immaturae aetatis stupor? quod discurrentium in tenebris chaos? Enituit tamen inter hos promiscuae fugae errores nobilis viri, Francisci Ludovici Zornii Bulachiensis urbem gubernantis humanitas, qui haud satis ipse extra periculum, tamen quod sublimiori vertice illustrem arcem inhabitaret ad se veluti exulem suscepit puellorum puellarumque multitudinem, et integra nocte parentes securiores fecit atque restinctioni expeditiores.

Nam et medium noctis jam praeterierat et dies albescebat, cum nondum spes ulla salutis appareret. Accursum est campanis flebiliter resonantibus innumero prope numero, et flamma aliquot perticas alta, qua coelum ingenti in orbem spatio rubebat ardebatque, vel remotissimos acciverat. Observati sunt Esselingenses, Freudenstadiani, Palatini ac nonnulli alii ultra sex milliaria hinc positi. Aquae tantum effusum, quantum rivo fortasse sufficeret, cum eam ab Entio amne prae caeteris Jodocus Machtolphus et Johannes Vlricus Bengelius per quinque aut sex depromentium series derivarent. Nec tamen ea cuncta ad cohibendam ignis violentiam sufficere videbantur. Itaque quidquid aedium superfuit evacuari coeptae; impleri ecclesia Deiparae Virgini sacra, vastum nec indecorum opus, et nupera civium liberalitate organo et sacris picturis spectabile. Ac tanta fuit infinitarum supellectilium comportatio, ut qui priores advenerint aut medium occuparint, exitu plane sint interclusi. At mox terror huic veluti sacrae anchorae admotus, quae quamvis ex solido lapide usque ad tecta assurgeret, tamen ex horreorum vicinitate (quo jam ignis appropinquaverat) omnis fiducia abscindebatur. Unde plurimorum tum tumultuariae exportationes secutae et fuga in collem, cui arx insidet, quaesita, majorene confusione an trepidatione, incertum. Ac sane jam prae oculis prudentissimo cuique universi oppidi bustum erat, quem metum non tam turbinis impulsus et flammae vastitas ejus-

demque ex tot pabulis perpetuum alimentum, quam civium consternatio et auxiliantium inter calores et frigora fatigatio cunctis prope excitaverat, cum Deus potentiae suae et sapientiae illustre specimen solita misericordia edidit. Martinus Epplinus vir quondam consularis, aedes suas quas in foro sumptuosas possidebat, anno 1570 incendio cum aliquibus aliis perdiderat. Eas cum restauraret, periculi memor, muro e puro lapide ad tegulas usque, sufficiente densitate vestiit cum dicterio: velle, si posthac ignis accedat, civibus, ne pergat, cavere. Id sive ominosum fuit sive gloriosulum, salubre equidem nunc fuit. Nam cum jam vicinae aedes omnes corruissent et horreum plane contiguum conflagraret, Melchior Wildius juris candidatus, has jam suas aedes imperterrito animo defendere aggressus vix tandem incredibili subsidio effecit, ut superari posse tam invictus hostis videri coeperit. Unde animati auxiliares, in mediis flammis Vulcanum haud profligavere quidem, sed fregere aliquantum et muri robur ivere adjutum, unde post diuturnum conflictum horreum concidit et spes aliqua victoriae hac parte obtinendae effulsit. Altera parte granarium (sub quo et cella servandis sacris reditibus destinata) ignem conceperat ac jam, quotquot subsidio advolarant, intolerabili ardore abegerat. Sed cum et ad hoc servandum aliquot cordati se denuo animassent, ac minores aliquot aedes paratis ad id uncis ferreis dejicerentur, permisit utique Deus hic quoque miseriarum

finem emergere. Exinde schola germanae pueritiae dedicata facilius, nec tamen sine miraculo opinor, liberata. Nam cum et plane negligeretur et ignis utrumque latus assidue feriret, tum magno nisu hominum equorumque esset solo aequanda, nec igni nec ferro cessit indeque |ad se| paucissimos aliquos (in quibus Bernhardus Engelhardus haud est reticendus) ad se provocavit, ac post exiguum tempus salutem impetravit. Voluit nempe Deus et paedagogiae Christianae utrasque palaestras et sacrosancti verbi auditoria, tum qui sacris ministrarent habitationes, cum scintillis undique conspergerentur, nec esset qui aqua perlueret, solidas: ut constaret, nondum religioni, sed improbitati bellum e coelis indictum. Ultimus conflictus et vehementissimus commissus est ex Michaelis Beurlini, Bartholomaei Gebelini et Andreae Schmidii aedibus contra adversas Rudolphi Hamani et Johannis Wildii chirurgi binas igneas plane domos, quae, quia in angiporto ad viarum crucem sese invicem respiciebant et flammam velut in punctum coarctabant, de summa rei et oppidi reliqua salute concertare jubebant. Nam aut hic terminandus erat ignis, aut nunquam publico consensu, quod aliam quasi urbem nisi reprimeretur hic esset aggressurus. Hic templo supremum periculum instabat, hic propinquioribus amplissimis aedibus, inde curiae: et quid opus tam horribilem aliam incendii seriem animo complecti? Adfuit enim Deus concurrentibus, conclamantibus, collaborantibus, anhelantibus, et post

satis diuturnam moram, quam chirurgi aedes tum plane recentes, tum adusto vino variisque unguentis et oleis delibutae faciebant, tandem ah! tandem respirare et gratas ad coelos manus quantumvis inter prunas et meros clibanos attollere permisit. Audiebatur inter haec quinta matutini hora, quae a nona noctis quo horrore exspectata, qua tarditate venerit, nemo quaerat, nisi lacrimas velit; nemo sibi quidquam animo concipiat, nisi quod humanam prope tolerantiam excedit. Eheu! quot aedibus interea vicinitas nocuit? quas flammae ab importuno vento delatae amplectentes, aegre nec unquam absque insigni damno, dimittebant? Quot parietes perforati? tecta effracta? fenestrae comminutae? januae et valvae ambustae? Jam fastigia aedium ardebant, jam trabes; jam conclavia ipsa accensa perlucebant, jam mediae domus ignibus occupatae. Quae singula magnam multitudinem fatigare potuissent, in hoc miseriarum cumulo neglectui plane habita sunt et suis domesticis derelicta, quorum indefesso labore longa domorum series, ac e praecipuis Erasmi Kellini, magni operis Hospitale, Andreae Schmidii, Andreae Machtolphi, Christophori Machtolphi dudum vita functi splendidissimae aedes servatae ac urbis reliquae parti, cujus interitus cum his inseparabilis erat integritas retenta. Perierunt omnino sexaginta et una domus, horrea triginta tria, quae in favillas penitus redacta; stabula absumpta novem et confracta aedificia octo. Sunt tamen, qui 116 tecta usitato more

numerent. Supellectilium haud aequalis fuit perditio. Nam ut aliqui prope nudi sunt expulsi, ita multi res suas fere omnes extulere, vini tamen, ubi minus solicite obstruere cellas licebat, tantum deperditum, ut octingentis quadraginta sex doliis sive amphoris sit aestimatum. Auri et argenti haud modicum sive obrutum sive subductum. Id vero quantae benignitatis divinae habendum, neminem graviter nedum cum vitae periculo laesum, unum saltem et alterum leviter vulneratum esse, idque obstructis passim vicis et ignitis trabibus praeter tegularum disiectiones quaqua dispersis. Unus Georgius Seuluftus, homo septuagenarius cum hactenus aegre animam traxisset, proximo jam igne erepere coepit, ac repertus extra urbem est deportatus, unde cum domum esset relatus, quinto post die sive morbo sive terrore ad Deum emigravit. Puerperae perpaucae ac quaedam unius diei fuga salutem invenerunt; peperit et immaturum foetum gravida, sed vivum et Christo initiatum. Nec ultra in homines hoc immane incendium saeviit nisi quod ejulatibus et publico luctu omnia personarent. Nam qui planctus praesentis periculi magnitudine hactenus cohibitus erat, is jam palam erumpebat, cum ingens multitudo alienas aedes immigraret, suis amarum vale diceret. Ac molesta recitatione laborum, quos pro domiciliis, lectulis, vasis quondam supportassent, reminiscebantur quotquot in tenui sorte hoc qualecunque vitae subsidium magno constiterat. Interea sol diu desideratus rogos nostros

subtristis intuitus erat, cum magistratus urbis convocatis qui accurrissent humaniter pro pietate gratias egit et pane vinoque refectos, quos procul venisse constabat, dimisit, propinquiores ad restinguendos etiamnum ardentes focos exoravit, quibus integra dies ita est absumpta, ut vix operae laborumque pretium apparuerit. Hinc excubiae constitutae, quibus favillarum acervi curae essent, et a vicinis oppidis ac Maulbronnensi coenobio homines cum carris submissi, quorum ministerio titiones urbe efferrentur. Adapertae sunt ea die nonnullae cellae, et vini etiamnum ferventis haud modicum, ac supellectilium non contemnendus numerus ereptus. Sed et vasa ex variis metallis, tum moneta multa jam in massas liquefacta, eruta. Caeterum ubi caloris impatientia fossores non admittebat, cumulabantur identidem damna. Nam doliorum circulis ex ardore dissilientibus, vinum effluebat ea interdum copia, ut ad duos pedes cellae implerentur, cujus nonnihil est exhaustum. Neque etiam interea remisit ventorum vehementia, qui per hos dies insoliti plane et furiosi perflavere et latentem sub cineribus ignem formidabili sane spectaculo per rudera et integras etiamnum aedes dispersere. Unde major vigilum solicitudo, minor civibus quies et in illaesis habitationibus securitas. Ac pauci ejus erant audaciae, ut res suas hinc inde per compita et hortos dispersas ad se reciperent, quae mora multis perditae malitiae hominibus ansam dedit alienas res contrectandi simul et subtrahendi. Postera

dies ut et sequentes purgandis plateis et complanandis ruinis datae: tum submissi ab illustriss. patriae principe Joh. Friderico legati, clariss. vir Johan. Sattlerus a secretioribus et ingeniosissimus Henricus Schickardus architectus, qui coram tragicae scenae faciem contemplarentur et accurata delineatione referrent. Quin imo ad vesperas ipse clementiss. princeps cum princ. fratre D. Achille advenit exiguo comitatu et spectaculi supra famam miseria intime tactus, popelli sui calamitatem et tristi coena et pervigili nocte memorabili condolentia est prosecutus; neque diutius ibi commoratus ad sequentis diei meridiem post prolixam clementiae contestationem et subsidii ferendi pollicitationem lugenti similis discessit. Paulo post ecclesia iis quorum sarcinis repleta erat, reserata, confusionis alia scena edita est. Nam formicarum instar sive crabronum potius palans populus aut nimio rerum suarum desiderio, aut furum qui frequentissimi simul ac impudentissimi, metu, eo clamore, jurgiis et strepitu tam multiformia et infinita prope aedium instrumenta invaserat, ut a seditione parum abesse crederetur, et accusationibus, pernegationibus indeque injuriis omnia perstreperent. Hanc rei deformitatem ut cohiberet ecclesiae decanus, Melchior Bengelius, conscenso suggestu gravibus verbis turbam turbidam et Christiani officii et modestiae civilis est adhortatus, quae tamen nisi distractis impedimentis (id quod dicto citius factum) cum nonnullorum dispendio vix acquievit. Purgata sacra

aede, cum Mercurii dies illuxisset, convocatis in concionem civibus, ego ecclesiae minister, sententia S. Davidis ex psalmo 119, 71. bono mihi fuit, me affligi, ut discerem statuta tua, recitata, gementem et trepidantem popellum docui: meminisset illius ignis, quo nullo piorum damno universus orbis sit interiturus, illius, qui profanis et obstinatis sit aeviternum accensus; agnosceret supremi judicis severitatem, qui post crebra verbi sui monita nullis humanis obstaculis impeditus excandescentiam suam exequeretur; negligeret terrenas opes, quae tanto animae periculo corporisque cruciatibus quaesitae tam subito et truculento vultu mancipia sua desererent; amplecteretur auream pacem et flagella Dei discordibus et inquietis infligenda reformidaret; aestimaret divinam providentiam, quae in praegrandi periculo tam numerosam et confusam turbam illaesam servarit; observaret proximum, cujus quondam indigne et sordide habiti afflicto tempore tanta esset et necessitas et usus; calefaceret pectora ad S. Spiritus ignem et foveret sacris pabulis; denique sic adhiberet hoc ignis examen, ut nihil impatientiae, blasphemiae, sacrilegii, sed humilitatem, tolerantiam, ferventiam eliciat purgetque ab illis inquinamentis, quae securos alimentorum, indormientes paci, saturos verbo divino, amatores sui, familiares mundi solent comitari.

Annum hunc, quem numerali hoc: sanCtorVM Vespera arDet Valhlnga, signaveram, excepit alter non minus tristis, quo jam utcunque resurrexisse

Vaihinga ex cineribus quasi videbatur e centum viginti plus minus ruderibus, quinquaginta circiter aedibus erectis forma et structura spectabilibus, unis etiam aut alteris superbis magis et invidiosis quam convenientibus. Contulerat in id communis patriae pia liberalitas duodecim prope florenorum millia, sed solenni mundi supputatione, subsidio in abundantes quam indigentes largiore: ut uno me verbo absolvam, fuerunt, quibus damnum profuit, quantumvis octoginta amplius millibus clades civium aestimata sit. Primus omnium Michael Hemmingerus vir senatorius horreum suum erexit, quem secutus Johannes Wildius chirurgus aedes suas, quas incendium finiisse diximus, ante omnes inhabitavit. Inde alii atque alii emerserunt, sed maxime spectabilis illustrissimi nostri principis structura, qua veterum Vaihingensium comitum sedem in alios usus restauravit. Interea operariorum insolentia, sed et civium indulgentia omnia tripudiis, clamoribus, compotationibus, interdicto etiam tempore, denique frequentibus jurgiis perstrepebant, cedente an conniveute magistratu. Nempe cum octingentas et quadringenta sex amphoras incendium absorpserit, nihil minus bibitum est aut citius assurrectum. Aedes novae multa ebrietate initiabantur, vidisses et pueros bacchari, frustra ac cum invidia inclamantibus ecclesiastis, qui dum male ominantur, dum officii sui singulos admonent, dum bonorum querelas ingeminant, male audiunt. Qui in aedes alienas debita commiseratione recepti erant, jam iis violen-

ter et superbe imperitabant, effringebant, confringebant, additis in terrorem minis, ne quis mutiat. Nam qui primum injuriam suam deplorat, aut secretos illos iniquissimi juris meatus accusat, jam perduellionis reus est.

Hac igitur infelicitate hinc tumidos, illinc conculcatos Deus severus et justus Vaihingenses revisit Veneris die 9. Octob. hora 2 et 3 pomeridiana. Initium factum in Jacobi Semilleri rustici aedibus, cui causam dedisse viventem adhuc sub cineribus favillam imprudenter abjectam ajunt. Inde concepto igne cum vetustissimam domum facile corriperet atque is et superne et inferne perrumperet, tum demum maxime noxius fuit, cum in subjectum stramen decideret. Itaque hic domus, ibi horreum accensa maximi periculi cives admonuere. Cujus tanta fuit celeritas, ut aedis foemina aegerrime per fenestras semet cum liberis ejectis eripuerit, ita tamen ut filiola una novennalis Barbara flammis ambusta biduo post mortem non effugerit. Inde malo non tam utrinque vicinos Casparem Eckersteinium et Philippum Steinbergium invadente, quam horrei flamma contiguos parietes aliorum horreorum perforante, facile apparuit rem iterum desperatissimo loco esse. Ac ad dextram quidem Jacobi Bissingeri viri judicis strenuitate intra Casparis aedes impetus cohibitus est. Nec minus a fronte quam foro obvertebat curia exiguo vico distincta ingenti nisu servata. Sed a sinistris maxima infelicitas fuit. Hic

enim occupatis Sebastiani Sieskindi*) pharmacopolae jam priore incendio graviter afflicti aedibus, quamvis vico terminarentur, tamen et Christophori Hechti jureconsulti et illustris dicasterii quondam assessoris et trans vicum J. Chiliani Hergeri viduae domos apprehendit, quae suae quaeque vicinitati damnum et interitum attulere. Hechti enim, Johannis Ulrici Bengelii, qui piscationibus principis praeest, Hergeri vero longiore serie Agathae decrepiti senii foeminae, Matthiae Haugii, D. Johannis Georgii Hambergeri urbis physici et Annae quae Michaelis quondam Wisefauti de re literaria optime meriti hominis mater fuit, domicilia penitissime prostravit, quo in loco Deo miserante ignis acquievit. Tergum etiam primi horrei maxime noxium fuit. Id enim aedibus intermixta horrea tria numero depopulavit majori periculo quam damno. Nam praeter Conradi Schroppii patentissimam et Johannis Adami Hammi domos, reliquae ad usum potius quam decorem stabant. Supellectilium tamen non levis jactura dolorem auxit, quae indigentibus durissima esse solet. Redeo ad Hechti et Bengelii unitas aedes, quae cum maximi pretii supellectilem secum abstulissent, tandem pervagante contiguum horreum et proximam Andreae Lauterhari multennalis olim aeditui domum clade, irreparabile damnum urbi attulerunt. Nam cum prope staret templum augustissimae structurae opus Deiparae virgini majorum persuasione sacrum, turris alioquin solido lapide erecta, sed lignea py-

*) alias: Suesskind.

ramide fastigiata, ignem concepit et in reliquum omne aedificium ejecit. Cui malo quo minus occurreretur, vitiosissimae scalae per quas difficillimus et angustus dabatur ascensus, plurimum impedierunt. Sed id maxime detrimentosum, quod non nisi arctissimo foramine eoque unico irrependum superiori templi contabulationi necesse erat: quod quia ignis occupaverat omne simul humanum auxilium excluserat docebatque heu serius! non frustra olim hunc errorem architectorum fuisse notatum et ut emendaretur aedilibus ingestum. Itaque igne in templi penetralia intromisso ac jam saeviente, miro ajunt fragore ac venti impellentis murmure omnia horrendum in modum personasse. Quidquid enim ex subselliis et scamnis tecto incidenti jungebatur, id ardentem quasi clibanum efficiebat. Unde nec lapides quidem ardorem sustinebant, sed in calcem, scissuras et fragmenta violentia flammae convertebantur. Lubet hic templi nostri sane aspectabilis figuram rudi circino delineare. Quadrangulum id fuit, longum pedes 120, latum 78, altum media area qua maxime assurgebat 70 p. Nam alis suis utrinque additis 36 pedum tantum altitudinem attingebat. Accesserant ad utrumque latus 6. concameratae cellulae parum minoris elevationis. Omnis structura 10. robustissimis columnis in 12 partes propemodum aequales dividebatur; illas nunc ignis propemodum exedit. Etsi enim secto lapide et quadrato omnis moles fabrefacta esset, non tamen Vulcani diritatem sustinuit. Successit hoc amplissimum fa-

num sacelli in locum anno 1513. secundo Augusti sumptibus ut aliis, ita Grempiorum antiquissima apud nos progenie oriundorum, memorabilibus, Henrici inprimis 1533. 7. Decembris pie defuncti et epitaphio ob id latino atque germanico laudati, quem imitati Dionysius 1534. 11. Jan., Conradus 1531. 15. Maii et Onophrius 1554. ad Deum redeuntes, laudabilem memoriam reliquerunt. Sed et Bulios, Langios, Machtolphos aliosque beneficos fuisse accepimus utinam non exarescente liberalitatis propagine! Praeter illos parum hic memoriae mandatum est nisi Johannis Alssmanni 1473, Johannis Ulfeshemeri 1440. defunctorum et confraternitatum monumenta. Unus Christophorus a Wolframstorff superior quondam urbis praefectus, vir sago pariter et toga clarissimus, gratitudinis testem tabulam meruerat. Supererat tamen maximae vetustatis lapis Vaihingensi comiti Henrico inversis pro more insignibus et cruce imposita erectus, quem quia ignis omnino corrosit, huc huc sua inscriptione restituamus:

A. D. MCCC. KAL. OCTOBRIS IN FESTO MATHEI APLI. O. HAINRIC. COMES IN VAINGEN, RECTOR HUIUS ECCLESIAE.

Alia perpauca, scilicet Christophori a Venningen binae conjuges, Magdalena de Erenberg anno 1540. 3. Junii et Elisabetha de Caltental 1545. 16. Martii, tum Anna Geilingen de Althun et Reinh. de Helmstat juvenis 1568. 9. Julii vita functi memoria, ignis perpessa rabiem, vix apparet. Caeterum quidquid ad ornatissimum templum facere poterat neutiquam huic deerat; nam et sumptuosissimo organo recentissime

ornatum et sacris picturis undique decoratum insuperque artificioso horologio instructum tum publicis tum privatis magis impensis erat, quam elegantissime. Nam cum Joh. Jacobus Engelhardus et Joh. Conradus Aihinus soceri et patris sui Johannis Aihini, post 37. annorum rationes aliquot principibus bene subductas, anno 1614. 10. Julii ad Deum reversi, grato animo sui posteritatem recordari vellent, ecclesiam ingeniosa Conradi Rotemburgii pictoris manu ornatam voluerunt, quos imitatae Anna Maria Thillia Aihini illius, Anna Wildia Joh. Epplini, Anna Reutcnechtia Jacobi Wildii, Maria Zieglera Georgii Kellini, Margarita Schmidia Christophori Machtolphi, omnes viduae, ac praeterea Melchior Bengelius decanus, Johannes Bulius consul et Sebastianus Sieskindius pharmacopaeus suo singuli loco parietes illustrabant pluresque certatim sumptus offerebant, nisi prior calamitas pictores deterruisset. Sic autem distributa erat pictura, ut in summo tabulato quod fornicis loco erat creatio rerum omnium prostaret, ad frontem templi perditio per Adamum, ad latera restitutio per Christi passionem duodecim tabulis expressam, ad tergum dijudicatio per eundem in nubibus redeuntem. His supereminebant XII apostoli voluntatis divinae et fidei nostrae interpretes, una cum Joh. Baptista Christi praecursore et Paulo doctore gentium. Substernebantur virtutum christianarum imagines, fides, spes, charitas, temperantia, veritas, innocentia, sedulitas, gratitudo, silentium, liberalitas, prudentia, labor, castitas, humilitas, justitia, fortitudo, patientia, constantia; quibus omni-

bus eminebant verbum et sacramenta precibus et afflictione concomitata. Alae duae sive minores areae sex mundi revoluti millenarios exprimebant hac distributione, ut hinc ecclesiae simplicis, dissolutae et ligatae, illinc imperii mundani, Christiani et Antichristiani faciem ob oculos ponerent. Ac altera quidem sua ovali figura prima ecclesiam a patriarchis institutam monstrabat et Caini protervitate exagitatam, secunda diluvii poenam, tertia sacrificiorum sive tabernaculi institutum, quibus in proximis cellis tres quaternarii respondebant: 1. Adami nempe cultura terrae, 2. Caini fratricidium, 3. Caini nova respublica, 4. Nominis Domini concio, 5. Turris babyloniae temeritas, 6. Foedus cum Abrahamo, 7. Sodomae conflagratio, 8. Hagaris expulsio, 9. Transitus per mare rubrum, 10. Mannae cibus, 11. Hierichuntis ruina et 12. templi Salomonis structura, omnia versibus et rhythmis ad novi testamenti harmoniam adducta. Altera vero primum Danielis colossum, quatuor monarchiarum typum, dein Christi in terris vitam, denique Antichristi et Mahometis furores Lutheri exortu mitigatos repraesentabat. Quibus sociabantur 1. Daniel inter leones, 2. Serubabelis restauratio, 3. Maccabaeorum robur, 4. Herodis toparchia, 5. Christi cum Pharisaeis lucta, 6. ejus varia manus medica, 7. ejusdem crucis sequela, 8. ac spiritus sacri distributio, 9. Turcae truculentia, 10. Papae contumacia, 11. Haereseon venenum, 12. Jubilaei gaudium. Utrisque his praeerant legis per Moysen et gratiae per Mariae filium ministri, addi-

tis quatuor majoribus prophetis justitiae et misericordiae divinae praeconibus. Nam evangelistae sacrarium occupaverant, quo etiam Isaaci immolationem et Goliae prostrationem pictor reposuerat. Sed et totius sacrae paginae viri foeminaeque celebriores debitis suis elogiis imitationem provocabant. Janua una apostolorum divisioni destinata erat et ad limina locatae, hinc simplicitas, haereseon, illinc sustinentia, tyrannidis victores: aliis portis spatii nihil superfuit. Haec affecta et magna parte perfecta laudabili civium promptitudine templum formosissimum reddebant ac cum paucissimis circa nos conferendum. Sed nihil tam Deo placet quam animae devotae cultus et fidei ornatus, quae s. Trinitati habitationem acceptissimam efficiunt. Abhorruit igitur a nostris conatibus dedignatusque est organi melos quicquid*) Christum externa pictura referret. Sonabat enim illud divinas laudes, sed affectu plane profano juventutisque corruptela praesentissima. Habebat etiam Christi et nascentis et a Magis donati et in coelum euntis ac denuo redeuntis picturas, Davidis insuper cytharam et cantorum ipsius concentus, sed spiritu minus in Christum propenso. Quicquid jam laudamus, videmus Deo displicuisse, cum animo deformes lapidum lignorumque pictura, animo sordidi templi cultura, pietate egentes pompa ventosa et penicilli luxurie Deum capi, imo verius decipi posse in animum duximus. Placent quidem omnino Deo nostro sanctuarii sui ornamenta:

*) Incend. Vaih. II. impressum sic habet: Quicquid Christum externo sono resonaret; abjecitque colores nostros, quicquid Christum externa pictura etc.

quo nomine nec animos addidisse amicis poenitet, nec illaudatos abire qui sua huc contulerunt, vel medio luctu nostro patiar. Nec enim periit quod candida mente datum ad se Deus vocavit et memoriali sempiterno inscripsit. Id tamen discamus, Deo nosmet ipsos vacuare, purgare et christianismi verioris ornamenta intromittere, quibus exculti facile omnem terrae nitorem, fucum et illinimenta aspernabimur.

At ut ad tragoediam nostram [80]) revertar, triplex malum oppido ab unius templi deplorato incendio imminebat. Nam qua parte orientem respicit, ubi adytum sive ut vocant chorus, sumptuum opinor defectu aut mutatae religionis turbis imperfectus mansit, inclyti ordinis teutonici aedes non nisi paucis pedibus distantes laborare coeperunt. Id gravissimum p[er]iculum jam a me nominatus Joh. Jac. Engelhardus ordinis oeconomus devicit tam suo quam universae propinquitatis commodo. Altero septentrionali latere paedagogium latinum cum proximis et irruentibus flammis dimicavit, strenuo bellatore M. Wilhelmo Cuppelio literariae juventuti praefecto. Tertius conflictus sed longe gravissimus ex parochialibus aedibus meo tum domicilio fuit, quas non tam templi minae quam vicini Joh. Goeppingeri viri senatorii conflagrantes aedes adversante simul vento offendebant. Aberam tum ego, amicorum invisioni maxime vero exoptatissimo meo M. Wilhelmo Schickardo diem unum et alterum tribuens. Uxor puerpera et accedentibus aliis morbis afflictior ignem prius vidit quam adesse

audivit, ac vix vestem nocturnam circumvolvit, cum fugiendi tempus fuit. Convasavit tamen reculas aliquas et periculo quod praesentissimum erat eripuit. Hanc sortem cum quatuor aliis puerperis tulit, quibus a partu paucissimis diebus respirare licuit. In arce illustri asylum iterum fuit, benignissima hospite D. Elizabetha a Laimingen Francisci Ludovici Zornii Bulachiensis praefecti majoris conjuge, quo etiam delata Melchioris Bengelii decani uxor jam multis ante septimanis lectulo gravissime fixa. Itaque ut Bulachius maritus in mediam usque noctem ac ultra strenue monendo, dirigendo, consulendo, ita ipsa recipiendo, custodiendo fovendoque omnes nobilissimae pietatis numeros pro se quisque adimplevere. Interim res meae non plane sunt desertae, sed amicorum aliquot inprimis M. Caspari Dirrii paedagogii nostri collegae, postea etiam M. Wolffgangi Moeglingi Lamershaemensium pastoris ac Martini Rotackeri scriniarii fidelitate quantum tumultuaria festinatione fieri potuit dissolutae, ejectae et in propatulum deportatae tractaeque sunt; quas quicquid tandem defalcatae sint, miror ad me aliquo numero rediisse, tali furum vel sacrilegorum potius multitudine. Nec enim quisquam mihi scribenti facile credet eam esse christianorum diritatem, ut proximos quosque suos rebus afflictissimis et aestuante Dei ira spolient ac depraedentur. Dirrius postea laudabilem operam praestitit cum organi musici fistulas igni subtraxit. Idem alii in horologio resolvendo fecerunt ausu tam

laudabili quam perutili. Quicquid liberandum fuit, moram non tulit. Nam trihorio praeter vastissimum templum viginti tres domus et quinque horrea conciderunt, minore quam prius et aedificiorum perditorum numero et temporis duratione, sed prudentissimi cujusque aestimatione detrimento majori atque mali vehementia. Sic enim arbitrantur qui rei adfuerunt, si quidem noctu erupisset malum hominum multorum interitum praesentissimum fuisse futurum, quem die ac vestiti vix effugerunt, dein perditorum pauperiem pensitant, quae nullam omnino respirationis spem admittat; denique supra omnia templi ingentis pretii structuram merito censent, cujus vel quinque campanae tantum ignis ardore non tam liquefactae quam absumptae multis florenorum millibus non redimuntur. Finis hac quidem parte incendio factus in meis et vicinis aedibus, quas adeo ignis obvall[av]erat, ut nisi ex adverso perforatis parietibus aqua intromitti non potuerit. Alibi Francisci Ferberi domus solo hamis ferreis aequata non citra diuturnum negotium miseriam terminavit. Ita et publicae aedes quas urbis scriba inhabitat servatae, maximo propinquorum momento. Hic enim cohibendum erat malum, aut magnae urbis parti immittendum. Unde majoribus animis incubuere ut perdomarent hostem saevum. Ajunt, universum prope oppidum bonis et supellectile vacuatum fuisse hominibus priore damno territis: id vero minus consulte factum, cum occupatis alibi et dispersis civibus vis ignis citius et

latius invaluerit. Sed id ut alia mala nostra debemus ei quam initio accusavi dissolutioni, qua et imperare et parere de[di]dicimus: neque etiam rebus secundis apparet quam periculose et lubrice vivamus, hominibus inexpertis subjecti, nisi cum casus aliquis gravior viros poscit. Nempe objurgare, minari, dominari, praebibere etiam perfacile est, regere cum prudentia et fortitudine non aeque planum. Multa unius virtus erigit, plurima unius vitium destruit. Nam cum Vaihingae ad florem et optimum reipub. statum nihil desit, una Erinnys optimos quosque ad optima enervavit. Haec sacri verbi ministerium fecit abjectum cum in pinguiores nihil vel ausit vel possit: haec primores fecit dissolutos cum ventri magis quam reipublicae impendant: haec cives fecit insolentes cum cujusvis patrocinio imperium facile abjiciant: haec singulos fecit diffidentes cum videant arcanis dolis potius quam mascula et aperta dissensione rem|i|geri. Aurea vox est et merito nobis repetenda: concordia parvae res crescunt, discordia magnae dilabuntur. Nocte imminente, multis vigiliis, multo etiam labore ne reviivisceret malum opus fuit, qui in diem usque continuati; quo dum rerum omnium ignarus domum propero, Stutgardiae quidem vir amplissimus D. Erasmus Grüningerus ecclesiae praepositus reverendus, rem non satis explicatam dissimulavit, sed paulo a porta ingeniosiss. meus Joh. Grezmeierus principis architectus testis oculatus infelicitatem aperuit. Unde cineribus et focis meis ad-

volo ac aedes quidem ambustas et laceras familiam vero et reculas dispersas invenio. Multae civium lacrimantium turmae circumdabant sive solatium petentes sive dolorem dividentes. Libris meis si quos habeo ignis pepercit, at non item infidelis manus. In alios saevus fuit; nam et D. Hechti instructissima elegansque bibliotheca et D. Hambergeri praenobiles libri et Balingeri quondam Weissachiensium ecclesiastae literaria supellex praeter minores alias haud contemnendas depasta sunt. Ego ut primum reliquias meas sum intuitus, didici, nimium possedisse; minore certe vivimus expeditius, non quod animum unquam occuparint, sed ne corpori etiam sub hac inutili mole sit laborandum. Quisquis Christum possidet facile rebus omnibus caret: quisquis se Christo dat cum eo res omnes nostra nobilitate dignas facile impetrat. Non ullus liber nobis auferatur, ut posthac minus sapiendum sit: quin imo sine libris discemus discere. Et superesse tamen mihi Deus plurima voluit, ut molesta custodia porro fatiget sive verius ut praesentium intuitu admonear, quam facili momento in favillas omnia dispergi possint. Secuta hoc igneum sabbathum dies dominica scintillans et fumigans. Ea cum in exequiali sacello D. Petro sacro lugentes ac pro loci angustia compressi convenissemus, decanus ecclesiae occasione ex evangelio Matth. 9 sumpta cives monuit, ne Gergesenorum turpi exemplo Christum toties invisentem finibus omnino pellerent. Ea concio

maximo luctu et ejulatibus veris veluti publico funere excepta est. Ego ejusdem textus paralyticum nostris morbis quantum potui aptavi, durior exinde habitus et siccioribus oculis auditus. Solemus enim mala nostra deplorare, Dei contra nos causam dissimulare atque ferre aegerrime. Templi rudera ut revera lamentabilia sunt omnes percellebant: cordis fragmenta et tot animarum ruinae habebantur minimi. Certe quem non sine honore nomino ecclesiae decanus multum sibi negotii fecit, ut hoc incendiorum interstitio cives etiam deperditos damni accepti admoneret, Amosi prophetae locum cap. 4, v. 4. 5. 6 adaptans et aliqnot concionibus explicans. Sed parum proficere et ipse est conquestus et alii jactitarunt. Quid igitur dicamus? Mundus incorrigibilis est. Nam quocunque eum vertas echini in modum aculeatus est. Verum ut ingenue fatear paucorum culpa plurimos involvit et infamia omnium est quod aliquorum delictum. Nam cum optimos cives quam multos Vaihinga habeat, pessimi nonnulli famam omnem, ordinem religionemque auferunt atque ex iis tales quos sequi vel fas est vel utile vel necesse. Unde non tam aliorum de confusione nostra fabulatio quam nostra etiam ac frequentissima quiritatio est, nos ut nosmet torquemus ita nosmet deploramus et necquicquam consulimus medicos, quos videmus non pacem nostram velle, sed argentum. Sequentibus diebus quos etiam vindemiarum collectio occupavit, refrigerandis ruderibus dati

sunt, et ex turri collectum aes quod minimo pondere e campanis superfuit; 20. vero Octobris illustriss. patriae princeps Joh. Fridericus etc. cum celsissimis fratribus Julio Friderico et Magno ac generosissimo illo heroe Cratone Hohenloio comite templi ruinas vidit, vidit inquam et ingemuit ac restaurandi excelsum liberalemque animum concepit ejusque initium per Henricum Schickardum celebrem architectum suum dedit. Hinc 26. Octobris area purgata et egestis publico labore lapidibus, unis columnis et arcubus maxime vitiatum apparuit, sed et turris qua in deambulacrum desinit diffissa et corrupta hiat. Et haec altera quidem Vaihingae plaga fuit cum ille nimium cultus DIonIsIVs poenaM CIVitatIs repetIIt: utraque certe irae divinae plenissima damnoque haud exiguis annis reparabili noxia. Gemini hujus incendii ex vero descriptio fraudi mihi fuit illique quorum culpa obiter ac tecte indigitata irritati. Princeps calumniae fuit subpraefectus Tobias Brackenheimer, malis artibus a ludimagisterio eo evectus, qui intravit ut vulpes, voravit ut lupus, ejectus denique est ut canis sc. peculatus reus. Et hunc hominem (cum suas aedes igne perdidisset) in diaconales meas intromiseram biennio hospitem ingratum. Latuit tamen hoc virus usque ad abitum meum, de quo mox dicam.

Interea cum nondum bilis quam nonnullis moveram libellis meis resedisset, etsi in Grüningeri aequanimitate satis praesidii esset, tamen Johannem

Hauberum incorrupti judicii et mirae mansuetudinis theologum eruditissimum adeundum censui, cui cum omnia mea exponerem et famam meam commendarem, tantum abest displicuerim, ut animum etiam addiderit, cujus verba quod me tum erexerint repetere placet, ita enim in literis post alia: tu molestas animi curas vera animi patientia et precum assiduitate fultus spei christianae anchora levabis. Ego votis atque conatibus meis tibi assistens tua promovebo commoda quantum divina gratia concesserit. Si libelli tui obtrectationem patiuntur aut invidiam tibi conflant, id nec mirum nec insolitum videri debet viro, qui mundi mores perversos dudum habuit exploratos. Placet mihi in iis elegantia stili sententiarum gravitate et rerum varietate nervosa atque coarctata. Libertas in dicendo quam a sincero virtutis amore et odio vitiorum atque scelerum grassantium justo profluere censeo, non displicet. Honoravi virum de me optime meritum [81]) cum Grüningero syntagmatis de Curiositatis pernicie dedicatione, qui obiit post omnium bonorum luctu 1. Octobr. 1620 anno aetatis 49 in castris ad Wormatiam positis.

Sub id temporis afflare me favonius visus est vacante parochia Ensingensi, quae 5000 passibus Vaihinga distat, optima et mihi destinata. Sed quam invito plane consistorio intervertit Johannes Satlerus a secretioribus principi [82]) et agnato Eberhardo Vito matris meritis conciliavit, ipso etiam consistorio insigni contumelia affecto, qua de re dum ipsi

litigant, princeps tandem ita definivit, ut quae proxime vacaret decanatus prope Stuttgardiam sedes, mihi crederetur, atque ea Calva fuit, optimo sapientissimi Dei conductu, ut ab otio ad negotium et sagina ad crucis vexillum traducerer. Libet addere Hauberi tetrastichon in Vitum lusum non sine omine:

Invitis nobis Vitus fit pastor, ineptit
Mater et invito plaudit ovatque Deo
Inviti quondam gnatus materque videbunt
Invito nullum posse vigere Deo.

Antequam abii, quae tum prodibant Lipsii Admiranda a me germanice reddita senatui Vaihingensi inscripsi. Qui cum affectum munusculo testari vellet, Brackenheimerus ratus tempus adesse quo noceret, non tantum hoc avertit, sed ut de injuria qua incendiorum mea recitatione affectus atroci esset, apud principem conquereretur, incitavit. Obstitere boni aliqui etiam Bulachius archipraefectus et Sebastianus Sieskind pharmacopola, nunc consul et ornamentum urbis primarium: unde factum, ut cum paucorum libidine rem agi princeps edoctus esset pro se quisque jure mecum agere jussi obmutescentes ridiculi facti sint. Pocillum successori meo muneri nuptiali cessit, ne tanti sumptus facti urbi interciderint.

Addam nunc obiter, quae alia ingenii loco tam taedioso diverticula fuerint. Ac praecipuum quidem librariae supellectilis augmentum coemtis aliquot bibliothecis ac una insigni Johannis quondam

Steinlini multiplicis lectionis viri, quae **600** plus minus partium fuit. Suppeditavit subinde alia et alia recentiora Besoldus infatigabilis in me propensionis. Eadem negotiatio literaria cum Bidembachio fuit viro apprime erudito, et magnae sagacitatis ac rerum historicarum peritiae viro Joh. Bernhardo Unfrido, tum Jacobo Heinlino vicinae Bietigheimiae diacono verae pietatis et solidae scientiae studiosissimo et omnis eruditionis complexu Wilhelmo Schiccardo [83]). Fuere etiam foris, quibuscum literarum commercium esset, ac inprimis Joh. Kepplerus [84]) ille mathematicorum princeps quem Linzii postea salutavi: Henricus Heinius j. c. Rostochiensis rarae devotionis exemplum, cui Turris Babel inscriptus; Joh. Adolphus Tassius literatissimus et politissimi ingenii et stili; Georg. Tisenius cum socio Melchiore Brelero. Non defuere etiam ex his qui invisere et coram dextras jungere satagebant, quibus alii et alii successere velut: Fridericus Lyserus cognatus, Sylvester Brunsivig Tubingae notus, Justus Held, Daniel Moeglin[gus], Joh. Benzius, Bonaventura Reihing, Johann. Bucher ac ne impostores quidem taceam Benedictus ille Figulus orbis circumcellio, et Wolfg. Sigismundi nequam poeta, quibus cunctis mensa mea, non nisi bonis et probatis pectus patuit. Wilhelmus etiam Wensius nobilitatis apex, dum ill. Saxoniae Aldenburgensis principum inspector esset invisere dignatus est, quorum etiam nomine honorario ornavit; tum Abrahamus Hoelzelius,

amicorum secretissimus subinde ad me divertit, qua etiam occasione tabulam suam geographicam confecit: denique et Joh. Michael Binder familiaritate sua recreavit. Matrimonii munera hic tuli Mariam 1616, 26. Martii, Concordiam 1617, 29. Junii et Agnetem Elisabetham 1618, 18. Septembris, quas duas posteriores ibidem Deo reddidi.

Superest, ut colophonis loco addam iter alterum Austriacum, quod invitatu Enenckelii et Hohenfelderi, permissu principis mei, vergente anno 1619. susceperam. Namque 10. Oct.[85] *) Ulmae conscensa nave cum Linzium superioris Austriae nobile oppidum secundo flumine delatus atque a rev. et clariss. viro dn. Daniele Hitzlero perhumaniter exceptus essem, nihil prius habui, quam quae in mandatis haberem, exponerem literasque concreditas redderem. Gavisus ex animo est dominus Hitzlerus vir de ecclesia Dei supra quam dici potest solicitus, d.d. theologorum Würtembergensium vigilantiam cum suis desideriis concurrisse ac quae per literas jamjam efflagitaturus esset sponte advenisse. Nihil enim aeque nos decere, quam cum Calvinianorum sagacitate et prospicientia certare, imo ut antevertamus eas contendere. Quidni enim, cum religionis corruptelas masculis scriptis abigamus, ejusdem amplitudinem et propagationem quacunque patet via procuremus et cum illi per omnes se rimas insinuent, nos patefactam Dei januam ingrediamur? Peropportunum vero hoc tempore adventum meum esse, quo or-

*) Cod. A et B: nave, 16 ejusdem.

dines Super-Anisani conventum indixissent, ut qui sinceriorem confessionem serio servatam, continuatam auctamque vellent, inter se facilius ea de re conferre simulque ex optima atque egregia illustr. principis Würtembergici voluntate contra clancularios aliquos fiduciam consiliumque capere possint. Non deesse enim atque ex primoribus, qui vel aperte Cinglianorum uti credunt acumini faveant, ut eidem se submittant, ut et se opponere hominibus tantae subtilitatis et literaturae non ausint, denique qui in religionis cura tepescant, quibus si quisquam aperte contraire velit, cum plurimum tenebris delectentur, camarinam intempestive moveri tandemque religionem sub politicarum commotionum mole, (quod unice velint), obrui.

Superesse vero aliquos Augustanae incorruptae confessionis fideles, pietate, genere et ingenio conspicuos, quorum autoritate, zelo et vigilantia hactenus serpens illa ac sibilans religio cohibita sit, quibus nihil aeque gratum sit futurum quam de Würtembergensis ecclesiae consensu et promtitudine cognoscere. Simulque nominavit aliquos optimae famae et certissimae in religione fidei viros iisque veluti praefecit nobiliss., religiosiss. et ingeniosiss. virum dn. Ludovicum Hohenfelderum, cujus pietas, probitas et eruditio non tantum apud orthodoxos in maximo pretio sit, sed et novatores contineat limitibusque circumscribat. Itaque molestissimo scholarchae officio fatigatum multis precibus servari, ne locum forte cedat ex eorum genere

alicui, qui innocentem securamque juventutem dulci veneno inficere non dubitant. Hunc sua qua polleat sapientia atque prudentia effecturum, ut optimum principis consilium sit et fructuosissimum atque omnino utrique ecclesiae superiori puta et inferiori satis fiat. Interim silentio multo negotium omne tegerem atque ab iis mihi maxime caverem, qui religionis plurimum optare velint videri. Gratulatus mihi sum eundem directorem monitoremque dari, quem et rev. consistorium elegisset, ad quem et ipse iter meum destinaram. Itaque die uno alteroque mutua rei hujus communicatione absumpto, ut primum advenisse dominum Hohenfelderum cognovi, adii virum et qui rev. consistorii Würtembergici in ecclesiam jam velut parturientem affectus esset, exposui: nempe cum ecclesiae unum sit cor, unus in Christo spiritus, quoquo ea membris suis dispersa sit sincero amore et solicitudine connecti, ibi vero sacrum calorem multiplicari, ubi major sit Satanae impugnatio et christianae militiae labor; quod si et subsidio consiliove opus sit, omnino accursum deberi. Nunc itaque dum iniquissimum Antichristi jugum insignia aliquot ecclesiae membra excutiant metuendumque sit, ut qui huc usque terminos suos extendendi nec blanditias nec machinas intermiserunt, nimis in excubiis stent et libertati anhelantem ecclesiam novis, et ut videri volunt, rationabilibus vinculis constringant, neutiquam dormiturire Würtembergiam illam immutabilis confessionis pervetustam sedem

ejusque patronum serenissimum principem Johan. Fridericum, sed potius inter medios bellorum strepitus sibilos Cinglianos exaudire interque fumos nebulasque consiliorum, nescio quos laqueos et retia prospicere, quibus ecclesiae nascentis infantia et simplicitas implicetur. Adesse itaque ac non tam de periculo fideliter monere quam tuta salubriaque remedia obicesve intrudentis se Calvinismi offerre, atque adeo ill. et generosos Austriae proceres, quorum integritas et religionis limpiditas celebrior et perspectior sit, in consiliorum societatem peramanter invitare, ut quo foedere vel consensu saltem Bohemis, Ungaris, Moravis, Carinthis, Carniolanis aliisque vicinis sunt conjuncti, eodem ad suppeditanda verae religionis subsidia in Christi nostri honorem utantur; se certe jam sub laudata directione illustr. pr. Christophori Ludovici, Friderici beatorum, ac hodie sui Johan. Friderici omnem eo operam contulisse, et ut purior religio per suos in varias terrae oras promulgetur, fidelitatis gratiam et laudem undique reportasse. Nunc idem et valde *) ex animo et larga benedictione posse, ut qua salutaribus ad hoc pium negotium organis abundet, et principem suum ad emittendos tales (cujus sit christiani animi) paratissimum sciat. Agant itaque ill. ordines, et qui cum Würtembergia ipsis est mutuus amor et cultus divini conformitas, quae etiam ipsorum de fide suorum theolo-

*) Cod. A et B: velle.

gorum experientia, ea in auxilii afflictis ecclesiis ferendi communione conferant principique suo e contra benefaciendi, sibi gratias ad posteritatem habendi occasionem porrigere non dubitent. Id vero omne cum dn. Hohenfeldero voluisse communicare, cui ob raras animi dotes ill. princeps optime velit atque spem firmam in ejus pro veriori ecclesia curam vigilantiamque reponat indeque prudentia commodaque rei tractandae consilia exspectet. Ad haec dn. Hohenfelderus submisso se et gratissimo animo cum illustriss. principis pietatem, cum ecclesiae Würtemb. solicitudinem excipere testatur adorareque toto corde supremum numen, ut hanc mentem, hunc affectum atque in Christo conspirationem ad omnem posteritatem continuet. Se quidem cum omni familia testem praeconemque beneficiorum ab ecclesia Würtemberg. acceptorum extitisse ac gratissimum animum porro profiteri, caeterum nonnullis, quos humana vel ratio, vel error abripiat, non ita videri, atque adeo incommode accidere, qui summis nunc officiis sint praefecti ac maxima ingenii et eloquii opinione valeant. Praeponderare tamen Augustanae confessioni addictos, atque inter eos haud paucos eminere esseque clancularriis formidabiles. Quibus si christianiss. principis consilium innotescat, multum et ipsis robur animique additurum, et paulatim etiam imbecilliores occupaturum, sed et quod rei caput, ad eos quorum interest talium suppeditatione transiturum. Se itaque, ut animum omnino paratum commonstret, singulos

quos rei idoneos certaeque fidei noscat aditurum mihique adeo praeparaturum, ut jam omnia expedita sim reperturus. Nominavit autem aliquos ac, quod mirabar, plane cum dn. Hitzlero eosdem, ut apparuerit, optime illis inter se convenire. Ita autem in se hoc negotium suscepit, ut quamvis arduis tractationibus implicatus cum de summa velut rei deliberandum decernendumque esset, quasi hoc unum ageret, multum et temporis et laboris ei impenderit.

Adiit ergo primum omnium generosum dn. Bartholomaeum Dietrichsteinium summae autoritatis et acutissimi judicii virum, qui et gratulatus est ecclesiis de religiosa principis Würtemberg. provisione, et ut ea amicis quos hinc inde haberet numerosos innotesceret, operam suam est pollicitus. Inde quam ipse a Calviniana curiositate abhorreat, quam Lutheranam simplicitatem contra insidiatores defensam velit, exemplo quam verbis testari gestiens, et animose captiunculis se opposuit, et aliis hoc ipso praeivit meque monuit, pergerem principis mei religiosam libertatem aliis insinuare, quae non nisi in praeclarum multarum animarum commodum redundare posset. Se etiam memorem tantae in tempore oblationis hanc prae reliquis religionis officinam et honoraturum et amaturum, quae tot annis locisque, tanto etiam munere operarum ecclesiasticarum felicitatem et sinceritatem probasset.

Postea idem cum generoso dn. Carolo Joergero viro multiplicibus fortunae ornamentis decoro actum,

qui ut me ad se vocatum audivit, maximas egit gratias tum ill. principi pro laudabili in ecclesias Austriacas affectu ac de se etiam in hoc negotio, honestissimo judicio, tum ecclesiae et Würtembergicae pro indefessa illa sincerioris religionis procuratione, quae sane hoc tempore quo Calviniani mirifice se efferant et post varias mussitationes pleno ore minitentur, valde necessaria sit. Curaturum igitur, ut quam hucusque inter suos religionem sonare voluerit quamque ipse a parentibus acceptam cordi impresserit, eandem et omnibus iis quibus Antichristi carceribus exire contingat, propinet et amicis propinquisve suis hanc exoptatam principis oblationem offerat, quam jam ante sciat magnis desideriis et gratitudine amplexuros. Oravit etiam obnixe ill. principem, ut cum se olim inter fideliores ministros receptum fuisse meminerit, de eadem sua fide et obsequio ad sanguinem usque porro quam certissimus esse velit.

Inde ventum ad nobiliss. virum dn. Ortholfum Geimann hoc tempore nomine equitum ordinarium; is quo est in religionem sanctiorem ferventiore studio, quo a griphis Calvinianis alienior, eo prolixius ill. principis praeclaram mentem collaudavit et conatus suos omnes in ea adjuvanda passimque communicanda promptius addixit. Nempe coelitus delapsum hoc consilium, quod Calvinianis jam propemodum paeana canentibus frena injiciat, et timidiores verae religionis asseclas tanti principis interventu et solamine erigat. Potuisse jam trepidare

ob praegrandes Germaniae motus, qui principum animos a religionis cura ad terrarum defensiones avocare possint*). Sed superesse qui vigilet tanti jam olim in ecclesias varias meriti ac haereditariae beneficentiae heroem, id non nisi gratissimo erga Deum animo agnoscendum esse. Simul etiam offerebat, quae hinc inde inter partes agerentur, cum ill. principe communicare, sed quod postea in dn. Zachariam Langjahr ordinum ad Prr. Noribergae conjunctos legatum rejectum est.

Interim etiam mihi a solicito et sagacissimo dn. Hohenfeldero conciliatus erat generosus dn. Weickardus baro Polheimius[86]) variarum rerum usu illustris ac jam honorifica ad serenissimumAlbertum Austriae archiducem legatione perfunctus. Huic visum etiam dn. Hitzlerum mecum vocare atque simul nostris colloquiis generosum dn. fratrem Georgium Achatium adhibere|m|, ubi me aliquanto prolixius explicui virique tantopere experti consilium expetivi. Longum esset recitare, quam ill. principis in afflictiores ecclesias benignitatem extulerit ejusdemque theologorum voluntatem juvandique studium approbarit.

Nam dum intra lares a subdolis aliquibus impetantur[86]), dubium non esse, quin id audentius sint alibi facturi, si fortuna uspiam arrideat. Sed omnino pauciores esse, quam ut plenam victoriam sperare ausint, dum ii qui huc usque maximis periculis laboribusque ac quatuordecim tonnarum auri sumptibus religionem

*) Cod. A. et B.: possent.

integriorem sartam tectamque servarint, supersint. Inter quos suum ac familiae nomen profiteri non dubitet, paratus vel morte contestari, quam ab utraque haeresi, pontificia et calviniana toto corde dissentiant. Sed tamen caute hoc negotium tractandum, neque exacerbandos maximi alioquin ingenii homines, qui id fortasse ambiant, et*) offendantur, ac ad apertam suae mentis professionem adigantur. Retentos huc usque in officio pastores, paedagogos et quibuscunque religionis disseminatio concredita, neque populum vel juventutem ulla parte, quod ipse sciat, corruptelis inquinatam esse. Caeterum cum apud vicinos nova libertatis ecclesiasticae spes affulgeat, se omnibus quos hinc inde notos habeat mature adfuturum ac ill. principis numquam satis laudandum pectus commendaturum, atque omnino suam erga inclytam domum Würtembergicam devotionem et hic et ubicunque liceat plenis officiis commonstraturum.

Hunc excepit dn. Hitzlerus, cumque ecclesiae Super-Anisanae puritatis ad unum alterumque claudicantem usque egregium testimonium dedisset, censuit e re ecclesiarum reformandarum videri, si aliqui pietate et eruditione ornati ministri juvenesque in praecinctu stent atque interea inter proceres sub alio praetextu dispersi ad quamcunque occasionem depromi possint. Non enim relinquendam Calvinianis vel tantillam moram, qua sint ad suos obtrudendos usuri, quorum ea sit versatilis natura, ut aliquandiu veriorem religionem simulare

*) Conj.: ut offendantur.

verbisque et ceremoniis exprimere non dubitent. Id consilii et laudavit baro Polheimius et quicquid ab ipso exigi possit suo et fratris nomine promisit paratumque se ostendit idem aliis proceribus suggerere ac omnino rem christianam strenue procurare. Subjecit postea quam duriter huc usque cum iis actum, quam pacta omnia dissoluta sint, quam jam etiam ambigua verba ex Belgio retulerit. Sed Deo hactenus fretos adjutosque omnia pertulisse atque hanc ecclesiae faciem multo sudore et impensis sustinuisse, quae alibi etiam inter flores et pacem probari possit. Denique precibus ecclesiae ac protectioni Dei se uterque fratrum concredunt ac nos summa benevolentia dimittunt. Exinde dn. Hohenfelderi consilio adire visum nobiliss. virum dn. Jacobum Staenglin, cujus quondam filium dn. Joh. Erhardum in Italiam conduxeram, quod et religionis certioris nomine optime audiret et terras suas Bohemis vicinas haberet. Quem ut salutavi gavisus est se ab ecclesia Würtembergica ejusque principe eo loco haberi, ut religionis quam colat ametque propagationem adjuvet. Id se jam ante debere et Deo et coetui christiano, at nunc denuo petenti principi, cujus inusitatam*) in amplificandum Christi regnum pro summa lege accipiat. Bohemorum periculum suum etiam fuisse cessisseque ad tempus impetui; nunc rebus mitigatis nihil magis optare, quam ut quos veriorem libertatem aspirare

*) sc.: proclivitatem.

noscat, principis munificentiam opportune arripiant. Cujus se monitorem simulatóremque *) fore tam libenti animo polliceatur, quam tantae famae virtutumque principi placere, ac studia sua celeberrimis theologis Würtembergicis approbare contendat.

Idem cum nobiliss. viris dn. Paulo Geimann, dn. Ottone Hohenfeldero, magni nominis et aut|h|oritatis proceribus actum, de quorum approbatione eo minus ambigendum fuit, quod et confessioni Augustanae ex animo subscribant et Württembergiam velut alteram patriam suam etiamnum agnoscant, sed etiam opt. principi parate obsequio in tam pia causa se conjungant, unde per se quisque hoc apud principem loco haberi petierunt, quo homines evangelicae veritatis avidos Württembergicae ecclesiae observantes et ad quodvis laudabile officium praestandum paratos reponat. Super[er]at inferior Austria, quam etiam adirem, ac in ea diu mihi desideratissimum patronum generosum dn. Georg. Achatium Enenckelium baronem Hoheneccium salutarem: sed cum belli [87]) vis circa Viennam irrueret atque ob id proceres Hornae [88]) convenissent, facta jam ad Viennam strage, ac viis ob transfugas milites minus securis, denique imminente hyeme subsistere ac reditum maturare necessum fuit. Sed et huic incommodo Deus remedium invenit inopinatum. Nobilissimus ac varia eruditione linguarumque peritia instructissimus vir dn. Michael Zeller ad ordinum

---

*) Cod. A.: stimulatoremque.

Super-Anisanorum conventum cum dn. barone Starrenbergio ex inferiore Austria legatus missus, ubi me adesse quem dn. Enenckelii commendatione amaverat cognovit, sponte novae amicitiae pararios et interpretes quaesivit meque facile obtinuit sibique devinxit. Cumque mihi benefacere et affectum contestari ambiret, ego nihil majus exigendum duxi, quam meam commissionem acceptis simul ad dn. Enenckelium ea de re literis in se reciperet ejusque sub silentio et fide industriam suam qua excellit pietatemque rarissimam addiceret. Quod et libenter admisit, et plenis promissis ad suos rediit mihique ex tot benevolentiae speciminibus spem firmam fecit non potuisse aptiorem negotio diligentioremque exorari.

Quod reliquum erat, id omne in dn. Hitzlerum cujus in ecclesiam Austriacam merita proceres certatim collaudabant, rejeci, cujus prudentia, solertia, vigilantia et taciturnitas tantae sunt, ut huic rei natae atque in unum hominem maximo implicatae ecclesiae bono a Deo collatae merito dicantur. Is animorum lenocinia edoctus et ingeniis Austriacis conveniens caetera Württembergicae institutionis tenacissimus praeceptorumque suorum observantissimus, nihil omnino intermisit nec intermittet porro quod ad eludendos Calvinianos laqueos servandamque Lutheranam innocentiam candoremve faciat. Huic itaque valedicto actisque pro amico hospitio gratiis, Weidenholzium dn. Hohenfelderi sedem contendo, filiumque suum Ehrenreichium maxima mihi confi-

dentia concreditum faustis omnibus*) recipio, ac felicissimo itinere huc usque 12. diebus conduco [89]), tristi licet hujus gaudii eventu, quam biennio post Flore juventutis expressi [90]).

Antequam Vaihinga excederem, Tubingae diem obiit Henricus Wellingius 27. Jan. 1620. Latini stili in me formator exquisitus et sedulus, qui quanti adolescentem fecerit, vel haec inscriptio citra invidiam testatur: V. M. L. Mei e multis carissimi affinis Johan. Valentini Andreae, Johannis filii pupilli, Jacob. Andreani nepotis, ingeniosissimi adolescentis et paternarum avitarumque laudum aemuli et sectatoris felicissimi, amicorum albo hanc memorem amoris notam infero M. Henricus Wellingius latinarum literarum in Tubingensi academia professor 24. Jan. 1603.

Postea adultiorem infinitis et hospitalitatis et informationis etiam opportuni subsidii beneficiis adeo sibi devinxit, ut cui praeceptorum plura humanitatis studia debeam non inveniam, ac proinde virum ut de re literaria et sua patria Tubinga, ita me praeclarissime meritum singularem memoriae tabellam grata mente suspendam. Hic terminus esto Vaihingensis sexennii, quod si loci amoenitatem et fertilitatem tum aetatis meae vigorem spectes, veris et aestatis interstitium dici debuisset; sed hinc civium discordia, inde morum corruptione, tum frequenti mea vexatione, denique diris illis iteratis in-

*) Conj.: ominibus.

cendiis adeo id plenum amaritudinis fuit, ut praecox etiam senium accelerarit et intempestivos canos produxerit. Dumque animo reputo, quam minus mihi facilis ac aliis vita fluxerit, quam variis vicissitudinibus secus quam plerisque intercisa, dolere possem duriorem in patria mea sortem, nisi me plerumque exterorum humanitas sublevasset, ut peregrinus domi foris patriam et penates invenisse mihi videar et Deo qui mirabiliter suos ducit ingentes debere gratias merito libens profitear.

LIBER TERTIUS.

DECENNIUM CALVENSE PRIMUM.

Vaihingae tandem ereptus Calvam translatus sum, urbem ad Nagolthum sitam, commerciis ex lanificio nobilem, humanitate et concordia civium illi plane contrariam. Cujus ecclesiae cum me 5. Martii stitissem, 12. verba faciente reverendo dn. Paulo Ruccero abbate Hirsaugiensi nunquam sine observantia mihi nominando admotus sum, postquam etiam ante familiam illuc tenui admodum paratu non sine ludibrio transtulissem. Ubi prima cura fuit decessorum maxime Joh. Esthoveri magno proventu per quadraginta circiter annos agrum domini excolentis vestigia retro legere, et quae in aliis desiderassem nunc ipse pro re christiana conari. Quam ob rem cum cives meos ad Argentinensem mercatum abeuntes essem comitatus, captata occasione multa de rerum in melius mutandarum rationibus contuli et paratissimos juxta aptissimosque supra spem etiam reperi. Cui cum accessisset collega M. Erhardus Machtolphus vir candidus et serio zelo flagrans,

nihil facilius fuit, quam hoc fido et individuo socio quidvis laudabile conari. Interea incidit vexatio nonnullis civibus iisque melioris notae a Jacobo Bestlino loci praefecto per invidiam et calumniam parata, qua malae fidei et corruptae monetae accusabantur, non sine summa principis ita per intimos suos persuasi indignatione. Quam cum pariter ex inquisitoris in hanc rem dati D. Wilhelmi Bidembachii communicatione, et ipsius delatoris arcanis futilem intellexissem, non intermisi, apud optimos quosque culpam hanc elevare et amoliri dedecus; nec ultra tum fui progressus. Sub id tempus de exornanda simul amplificandaque sacra aede primum deliberatum, paratis ad id impensis et icone lignea, a quo *) tamen senatus se excusavit. Itaque ad juventutis cultum conversus, instituto puerili examine longe quam antehac exactiore, et suppeditatis Quaestionibus Catecheticis, quae typis exscriptae sunt, cum jam prata Christi vernarent, non diu abfuit a calumnia tempestas; quae postquam livore suo me aliquandiu exercuisset, ubi tandem evanuit, longum tamen et acerbum sui sensum post se reliquit. Erat tum in convictu meo praeter Ehrenricum, Wolfgang Michael, Michaelis Zelleri equitis Austrii exulis filius, et M. Matthias Gigerus Basileensis, cum famulitio omnes numero circiter duodenario. Et Gigerus quidem ex mutuis nostris colloquiis religioni patriae sponte renunciaverat, ac praeter hebraeae linguae institutionem, cujus occasione Johann. Buxtorfius [91])

*) Conj.: qua.

celebris ille apud Basileenses quondam professor mihi conciliatus est, domesticae disciplinae curam susceperat. Quo ad Ehrenrici patrem in Austriam ablegato, superfuit collega Machtolphus efformandae nobilis pueritiae assecla, cum inopinato apoplexiae ictu domus mihi concussa et prostratus Ehrenricus est, unicum oeconomiae ornamentum, qua de re in lugubri libello fusius. Hunc autem annum plane funestum habui dilectissimorum mihi mortibus, quod 18. Apr. ante sororium Sixtum Brauchium praefectum Heidenheimensem, et sequente 5. Nov. fratrem Johannem Beilsteini pastorem, post sectionem infelicem dira morte, utriusque magno desiderio relicto, amiserim; nec praeter luctum aliud actum, quam bibliothecae in usum civium colligendae, consilio quam successu hactenus feliciore, initium factum est. Non praeteribo hic longaevi senis viri de re literaria et pietate praeclare meriti, Simonis Goularti Sylvanectini in me propensionem. Qui cum opusculorum meorum magnam partem Gallice loquentem fecisset, aliis atque aliis stimulis, ne manum subtraherem, ab hoc anno ad 27. usque incitavit. Sequenti anno malorum Ilias terras nostras inundare coepit, initio a monetaria peste facto. Quod malum cum medicabile etiamnum crederetur, nec quicquam profligare ausus vel publico dramate impetii; sed rem majoris molis esse convictus, sic destiti, ut multis tamen innoxias manus ab hoc scelere continuerim, quam meam solicitudinem tenebrio quispiam projectis in atrium chartis contumeliosissimis ultus est, quas solo contemptu vindicavi. Corrum-

pebat etiam gregem meum turma militaris, quae paulo post ad Wimpinam deleta poenas dedit [92]). Et flagellabant annonam Satanae licentiati, sc. quibus impune pretia rerum confundere erat concessum, ne nunc quidem ad priscam aequitatem reducta. Quo taedioso tempore sanciendis civium amicitiis vacabam. Quibus cum Argentinenses nuper accessissent, quippe praeter Matthiam Berneggerum et Joach. Bockenhoferum amicos ante notos, ampliss. vir Petrus Storckius consul, D. Johann. Gissenius [93]) theologiae professor, Elias Schadaeus [94]) ad D. Nicolaum pastor et Theophilus Dachtlerus secretioris consilii scriba me admiserant, mutuis literis me oblectabam et in amorem honestum pronus officio meo sedulo defungebar. Hac etiam occasione cum Janus Gruterus [95]) vir celeberrimus alterum Florilegii Langiani [96]) tomum opus vastum adornaret, ejus laboriosa in classes distributio mihi contigit, si nullo alio, hoc certe insigni fructu, ut tanti viri amicitia et secuta familiaritas mihi cesserit, quam literis et colloquiis qua summa humanitate fuit ille sedulo excoluit. Nec praetermittendus est Georgius a Windeck, qui cum post Austriae superioris cladem [97]) Vaihingae lateret, cum fortuito congressu in virum incidissem, adeo animum in me facile convertit, ut in secretius colloquium accitum se baronem illum Tschernemblium tanta eruditione et sagacitate famosum et nostrae tragoediae non minimam personam prodiderit, ac exinde literarum mecum reciprocatione solitudinis fallimentum quae-

siverit. Quibus merito addo Jobum Hartmannum Enenkelium baronem Hoheneccium, fratris Achacii (summo mihi dolore abrepti) amicitiam successionis jure eruditissimis literis deposcentem et excolentem; quae postquam in annum 1626. usque durasset, aeque dolenda morte finita est. Denique et Balthasar baro Schrotenbachius politissimi ingenii exemplum, quam Argentinae familiaritatem obtulit, humanissimis literis continuavit.

Caeterum majoris momenti fuit, quod sub id tempus adversis casibus opponendum putavi, nempe collectam ex civibus meis Christianam societatem superiore anno delineatam, quae deposita argenti aliqua notabili summa in praesens pauperum indigentiae succurreret; in futurum vero, si res ita ferret, vel occurrentibus necessitatibus subveniret, vel posteris rectius prospiceret et una amicitiae constantiam servaret moribusque deviis occurreret. Cujus fundamentis in pago Scherzich prope Argentoratum sub prandio jactis et in suburbano meo recollectis ac diductis, postquam Christophorus Demmlerus vir magni animi laudabile initium mecum fecisset: secuti sunt alii atque alii, adeo ut hodie hoc sacrum depositum ad 18000. florenorum summam excreverit, cujus rationes mihi concreditas semper religiose habui auctioresque in annos reddidi, haud dubio, si eadem fide et alacritate posthac continuetur [98]), magno posteritatis commodo rei sacrae et literariae profuturum. Succedente anno 22. circa pentecosten mater cum filia Anna vidua

familiam huc transtulere, quibus sublevandis pro re ac supra rem etiam meam optima fide et indefesso studio adfui et aedium mearum hospitio hactenus habui. Caeterum totus hic annus operosus mihi fuit, initio dato Augiae stabulo purgando a Bestlino homine congerendis tantum divitiis per fas et nefas intento, successori Joh. Kürnero relicto, qui vir recti studiosus socias manus restituendae civilis disciplinae libenter contulit. Sed et vir nobilis Jac. Bernh. Gültlingius Teuffringae dominus praefecturam suam superiorem sedulo obibat et me sive haereditaria amicitia, sive suo impetu effusissime amabat. Sin minutiora etiam scire non piget, vasa sacri usus ex stanneis argentea meis et devotorum impensis reddidi, nunquam magis quam recte factis invidiae, fato meo, obnoxius. Accessit aliud patientiae exercitium ex societatis cujusdam literariae et christianae olim conceptae ideae cum fidis paucissimis communicatae iniquiore interpretatione, quae et literas monitorias ad Austrios proceres, quos huic rei favere opinio erat, expressit, quae apud hujus plane ignaros importunae et ridiculae fuerunt. Eodem prope tempore cum armata manu Badensis terra principi Durlacensi eriperetur et majoris periculi ab infecto*) milite metus esset, Thomas Wegelinus th. doctor, gymnasii Durlaceni rector post thermarum Cellensium usum ad me per mensem circiter secesserat, magno utique ex suavissima con-

*) Cod. A. et B.: infesto.

neficio meo, *quod tamen sibi factum* et eleganti carmine et amicis literis paulo post sedem fixit [99]) et ad anque superfuit, subinde est testatus; hoc est:

e, quas jungit gratia Christi,
amor, cana tenaxque fides.
vor morumque modesta venustas,
jocus, nec sine melle charis.
astringunt nos nostraque, candide frater,
nis nullus amoris erit.

rcuit me nonnullorum inhumanitas, is suis dissimiles cum ubique pugnaectarentur, praeter Menzerianam [100]) Joh. Arndii jam ad coelites translaineres acerbo calamo turbabant. Quod ios moderatosque quosque nec mihi lacabile odium incurri. Etsi vero nipsa Arndii causa, de qua tamen mi- commune erat, tantum alieno manos mutuum lacerare dolerem et ad e pertinere, ne cuivis proscribere judicio damnatum liceret, putarem; haeretici et infames audirent, quotarentur Arndium, et me aperte peti sum me explicare tribus Dialogis e inscriptis, quibus id agebam, ut am palam professus, tamen quam Arndii exemplo ecclesiae solutis tae succurrere, multis exponerem,

quod tamen ut fervor tum erat, ne potius irritaret quam sanaret, luci datum non est.

Ita annus hic lue etiam populari, quae 233. nostros extinxit, noxius mihi exactus, cui finem sororii D. Sebast. Hoeschii Aalensis medici mors 8. Decembr. imposuit. Hunc secutus 23. magis otiosus, nec aliquo in ecclesiam opere notabilis, Machtolphum mihi transtulit et M. Casparum Seemannum Weiblingensem substituit, non minus fidum et industrium, qui decessoris vestigiis insistens praeclaram et ipse rebus emendandis opem mihi contulit. Nec aliud hujus anni notatu dignum memini, tantum cum Joh. Erhardo Cellio Esslingae imperialis pastore, cum quo arcta mihi multorum annorum familiaritas fuit, querelas de ecclesiae inclinatione commutasse, quam ille qua erat sagacitate dudum praevidit et quemque suo loco distinere potius, quam invalescentem publico prohibere posse censuit. Anno 24. currente actio contra cives meos recruduit, ea nonnullorum qui principis facilitate abutebantur animi impotentia, ut nihil auditis supplicibus mulcta 17670 fl. imperata sit. De quorum innocentia cum melius vel sperarem, vel certis indiciis mihi constaret, coepi ab omni humana ope dejectos apud virum plane nobilissimum Benjaminum Buwinghausium Walmerodium in principis gratia florentem, cujus conveniendi facultas ex vicinia erat[102]), primum verbis, ac cum vix aliquid persuasissem, etiam literis excusare, ita ex composito constructis, ut principi legendas porrigere possit,

quarum summa erat, ne inauditos, ut quererentur, subditos suos ex levis hominis delatione perderet, sed rem omnem certius per minus obnoxios viros exploraret. Quod ipse quidem princeps clementer intuitus ac ut res ampliaretur ac a vi interim abstineretur, passus est; sed qui sub leonina pelle latitabant, diro me fulmine quasi obsequii turbatorem et aliena invadentem percusserunt, nec minus tamen ulteriorem rei indaginem ferre coacti sunt. Quae cum a cordatis et integris viris esset facta, omni tandem metu et injuria cives liberavit, qui post Deum principisque innocentissimi indulgentiam, meo ausui (qui a Gorgonis capite nihil retrocedebat) plurimam servatae famae et rei gratiam deberi agnoverunt et palam sunt professi. Eodem anno Noribergam occasione nuptiarum sororii D. Balthasaris Simonii medici 8. Junii excurreram visendae urbis Mercurialis studio. Quam dum obiter lustro, meliore fato quam pro spe mea in Paulum Piggelium D. Laurentii, et Johannem Saubertum D. Mariae pastores, tum Christophorum Leibnizium D. Sebaldi diaconum, et Joh. Schnerrerum provincialem scribam, praeter alios virtute ac nobilitate conspicuos incidi, quorum amicitiam brevi momento contractam nulla aetas delebit, nulla aequabit vitae alia suavitas; ac Schnerreri quidem et Piggelii consuetudo brevior fuit, illo 1625. Johannis die, hoc postridie Cal. Febr. 1628. acerbo vulnere meo extinctis; caeterorum ut quam diutissime duret, Christus faxit. Hoc etiam cum nondum de-

ferbuissent censores mei, Apologia breviore innocentiam meam asserui, cujus is usus fuit, ut quibus de ea abunde constabat, supervacuam et anxiam nimis censerent; quibus livor pectus obsederat, ne in gratiam redire cogerentur aut fateri inhumanitatem, aures obturare et oculos claudere, quam christiani officii meminisse maluerint. Caeterum, quod solenne mihi, ea invidia gratiam peperit atque apud Ill. religiosissimam principem Ursulam Dorotheam [108]) viduam Württembergicam. Quae cum thermis Cellensibus in Hirsaugiensi coenobio uteretur, me aliquoties accivit et, probata aequanimitate dissipatisque calumniae nebulis, multis de rebus secrete consuluit ac exinde in aula sua frequenter exceptum comiter habuit. Nec inutilem ministrum habuisse clementiae plenis literis et muneribus non semel testata est. Cujus aulae magistram Annam Mariam Stimmeliam viduam nobilem ut bene de me meritis annumerem, rara pietate et virili prudentia meruit. Ex Gültlingia gente prognata et ob id facilius, inde hospitio apud nos sumpto, arctius mihi conciliata. Natus mihi hoc anno est Ehrenreich 10. Julii; ex liberis infelicissimus, cujus ab incunabulis ratio turbata, apoplexiae accessu destructa plane est: crux domus coelo data et speculum arbitrii divini, quod revereri semper deceat. Annus 1625. inter auspicatiores mihi numerandus Guilhelm. Ludovicum Freibergium baronem, Oepfingae et Stauffeneccii dominum mihi conciliavit, ac proinde ecclesiae nostrae reconciliavit. Cum enim is ther-

mis Cellensibus uteretur ac suam amicitiam sponte offerret, caetera humanissimus, sed Schwenckfeldianis erroribus immersus ac cum iis luctans, viam mutuis colloquiis ac scriptionibus aperuit, quibus propitio Christo eo profectum est, ut opinionibus de nobis sinistre conceptis liber et nugarum Schwenckfeldianarum pertaesus se nobis serio addixerit et fidem suam multis praeclaris speciminibus hactenus probarit, me vero exinde, quod ambitiosum non sit, velut patrem suum spiritualem perhumaniter coluerit. Sopita monetaria peste, quae me etiam 800. circiter florenis emunxit, et restitutis utcunque rerum pretiis, cum nihilominus rerum omnium penuria tenuiores laborarent: primum mendicabulis omnia compita scatere, dein posita verecundia cives etiam immisceri iis, et ociosissimus juxta flagitiosissimusque quisque panem alienum poscere. Cum id oneris paucioribus tantum incumberet, nec ei ferendo essent, coepi de aequioribus rationibus cogitare, quibus alimoniae egentium civium prospiceretur, et ignavi fuci abigerentur. Itaque vix tandem persuasi, ut collecta ex civibus stipe tenuiorum liberi in xenodochio bis die pascerentur, effoetis et aegris domi eleemosyna porrigeretur et qui scholae aut opificio idonei essent persoluto didactro eo admoverentur. Nec ultra cum plura pertentarem progredi tum licuit, invito plerumque ad saniora consilia senatu et civium rectius consultorum promptitudinem avertente.

Ineunte 1626. anno, ut simpliciorum devotioni

succurrerem, Christophori Vischeri explicationes evangeliorum et epistolarum dominicalium pueriles, quarum usum olim domi expertus eram, recudi curavi magno exemplarium numero in urbem introducto et viliori divendito. Quarum ad normam etiam per biennium sermones ad populum formavi, sic ut ex libellis suis domum reversis repetere summam rei et ruminare cuivis in proclivi fuerit. Aestate vero incalescente, morbo ex aeris intemperie contracto, prostratus aliquantisper, ac post 15. sanitatis continuatae annos primum graviter decubui, frigore molesto subter cranium et articulorum cruciatu vexatus. Ex quo convalescens vix sero aeris temperatioris, nullius tamen constrictioris patiens, münire caput et cervicem diu coactus fui. Sub id temporis Joh. Walter Scher, puer nobilis meae curae traditus, post convictus annum ad matrem (cui ob |id| diversam religionem ereptus erat) Caesaris imperio rediit. Hoc etiam anno ad nos ex Austria exul secessit Lud. Hohenfelderus Weidenholzii dominus, jam ante a me honorifice nominatus, et libertati christianae omnibus bonis suis posthabitis domicilium Esslingae fixit, quem solaminibus et fidis obsequiis erigere, beneficiorum memor in magna felicitatis parte duxi et non ingratam ipsi operam meam testibus elegantissimis literis, quarum ille artifex diversis ad me linguis subinde dabat, intellexi. Cum his etiam annis ea esset annonae caritas, ut passim cohortes non mendicabulorum, sed familiarum fame expulsarum, tum patria extorrium obam-

bularent et civium sedes*) obsiderent, magna cura et difficili efformatione id effeci, ut publica stipes viritim colligeretur, quae et civium necessitati succurreret et advenas tolerabili viatico promoveret. Cujus etsi vix tandem impetrati consilii is proventus fuit, ut ab hoc tempore usque ad 31 quo expiravit annum, ultra centies decies mille indigentium paverit, juverit atque transmiserit, haud contemnendo ad posteros exemplo, quantum conferri ab exigua civium manu possit, si omnes in caritatem christianam conspirent et rusticam illam tenacitatem (quae multorum fores claudit) abigere indefesso studio contendant.

Qui secutus est annus 1627. cum sequenti propemodum totus aedis sacrae majoris tum minoris etiam in hospitali structurae et exornationi impensus est, cum illa et angustior et minus commodis sedilibus distorta esset, haec plane destructa et situ squalido jaceret. Utrumque majore invidia quam quae debebatur gratia factum est, cum nullis reipubl. impensis, sed civium eorumque perpaucorum liberali collecta manu res omnis conficeretur, nec diversa sentientibus et praeter architectonicos artem imperantibus satisfieri undique posset. Quo in negotio nunquam tacenda est Christophori Demmleri munificentia, cujus sumptibus prope dimidium rei effectum, constantia vero invidiae virus suppressum est. Sane praeter elegantes picturas, quae 800. cir-

*) Cod. A. B. et a.: aedes.

citer florenis stetere, locus 1000 hominum capacior redditus est, hospitalis vero sacellum habendis (quod nunquam erat) concionibus aptatum. Cujus officii quod 4000. florenis collatum est cum praesens rigida aetas neget, posteritas solvet gramma*). Sauberti hoc numerale est: KaLVVensl teMpLo DeVs Ipse est faVtor et AVtor; quod lapidi incisum anni memoriam retinebit. Artifices adhibui Jacobum Spieglerum et Leonhardum Hagium pictores, quorum ille hoc aevo excelluit; Michaelem Strobelium statuarium, Jacobum Stahl scriniarium et Georgium Handmannum latomum, quos posteros nescire nolui, sed etiam si qua continuandi operis lubido succedat, iconas quas hodie modellos vocant absolutae structurae ex ligno fabrefactae propenso studio reliqui. Hoc anno natus Waremundus meus 21. Nov., sequenti 6. Febr. in veriorem patriam rediit.

Proximus ab hoc annus excursione Noribergica altera mihi notabilis est, quae et Sauberto meo me reddidit et Wolffgangum Jacobum Poemerum, Jobum Christophorum Cressium atque incomparabilem amicum Conradum Baierum patricios magis conciliavit. Veni illuc Aprili mense et per septimanam substiti, comiter et munifice ab urbis aliquot primoribus, ex quibus Christophorum Furerum et Georgium Christophorum Volckamerum non nominare nefas, habitus. Quam ob rem cum inscriptione Peregrinationis Ecclesiae incluto senatui gratias publice agerem,

---

*) Cod. A. B. et a.: gratiam.

novo munere obstrictus imparem me solvendo esse fateri coactus sum. Inspexi tum obiter Altorffense Athenaeum, cujus rector et senatus, praeter voluptatem desiderati tot eruditione celebrium intuitus, lauto convivio in Joh. Gerhardi Frauenburgii j. c. aedibus perpetuam memoriam sancivit, hospes etiam amico foedere et literario commercio ad mortem, quae 1630. secuta usque obsignavit. Peperit haec expatiatio, cui Saubertus et Baierus comites fuere, Verae Unionis specimen Baiero sacrum, et Danielis Schwenteri [104]) viri ingeniosissimi ex Sauberti commendatione absentis licet notitiam. Reditus etiam Onolspachii Laurentium Laelium theologum et Kreilsheimii superintendentem conciliavit. Sequens Julius propemodum mihi lethalis fuit febri ardenti Stuttgardiae correpto et lectica domum aegre revecto. Hanc abegit fons acidus Tainacensis plurimorum admiratione, mea perpetua gratitudine, quam hujus salubritatis Deo datori debeo. Convalui post trimestre, languore tamen ad pleraque munia tardatus, qui ingenii et virium aciem plurimum hebetavit. Coepit etiam hoc anno amicitia cum Johanne Gerhardo [105]) theologo hujus aevi facile principe, inter auspicia mihi numeranda, quod vir theoria pariter et praxi consummatissimus desideria et studia mea emendandae rei christianae adeo aspernatus non sit, ut eodem spiritu iisdemque votis et meliorem mentem nostris precari et licentiae colluviem detestari minime dubitarit, secus quam ii, quibus omne devotum suspirium suspectum est, nec quicquam nisi

gladiatorium oleat, sapit. Certe uti religioni nostrae nihil deest, ita disciplinae pleraque absunt, quod Gerhardus mecum fateri et deplorare nunquam desiit, familiaribus id epistolis eruditissimis persaepe testatus. Quae cum incendio mihi magno meo dolore perierint, quod unum ab amica manu superest mutui consensus indicium, dono datae primae partis confessionis catholicae[106]) inscriptio hic sufficiat quae sic habet:

Admodum reverendo, clariss. et excellentissimo viro dno. Johanni Valentino Andreae theologo eximio de universa Christi ecclesia praeclare merito, ecclesiae Calvensis in ducatu Würtemb. antistiti et reliquarum illius dioeceseos ecclesiarum superintend. vigilantissimo, dno. fautori amico et in Christo fratri suo plur. dilecto et honorando mittit

Johannes Gerhardus D.

Qui decadem hanc claudat 29. nulla propemodum re memorabili transmissus est nisi quod Argentinam amicorum causa non sine foenore revisi; nam cum vel solius Matth. Berneggeri[107]) V. C. cum quo jam diu arcta mihi amicitia est nomine illuc ivissem; addidit is amicorum nobile par Joh. Schmidium[108]) et Joh. Georgium Dorschaeum[109]) theologos insignes ac illum quidem pro Dei domo zelotem, ac qui animi in me propensionem in exequiis Wegelianis[110]) palam testari non erubuit. Sed et academiae rector Froereisius cum aliquibus insignioris notae professoribus convivio liberali comiter habuit. Denique et urbis consul Joh. Helle-

rus [111]) vir literis et probitate primus, sponte amicitiam, quam coenae suae hilaritate testatus est detulit et cordatis interea literis continuavit. Samuel vero Glonerus [112]) poeta elegantissimus, quem pridem absens amicitiae impetum conceperat, praesens totum effudit et omni officio testatum esse voluit. Cumque hic annus plurimos patria extorres faceret ac inprimis ecclesiae ministris esset ob difficiles receptus durissimus, ausus sum Colloquio trigemino nos conversionis, constantiae et condolentiae serio admonere, non aspernando alicubi fructu, ubi hospitia exulibus sive liberiora sive faciliora impetrata sunt. Amicitiae monumentum Saubertus voluit 3. dodecadis emblematum inscriptionem quae ut ingenio pollent, ita haud dubio fidem apud spectatores conjunctionis nostrae invenient. Pari censu habeo Danielis Senerti [113]) medici orbe celebris benevolentiam, quam (rarum hoc) causae christianae studium peperit, literarum commercium fovit hactenus et porro continuabit. Nec minus debeo Philippi Heinhoveri viri Augustae nobilis facilitati, qua et officiosum meum affectum admisit et suum in me studium ipsò opere prodidit.

Atque hic finis decennii hujus esto inter varios agones maxime vero ecclesiae meae efformationem decursi. Quod etsi absque sudore mihi non stetit, haud tamen molestum sed varia voluptate christiana delibutum et vitae meae prope commodissimum dixerim. Collegas [114]) habui sibi succedaneos quatuor, omnes praeclarae in ecclesiam operae, erudi-

tionis singularis, moribus probatis mihique conjunctissimos, Erh. Machtolph., Caspar Seëmann, Johann. Bernhard. Wagner et Zachariam Greins praefectos tres, Jacob. Bestlinum urbis pestem, Joh. Kürnerum recti studiosum et Christophorum Majerum. Commendavi ecclesiis 23 ministros. Fautores et manuductores ex vicino Hirsaugiensi coenobio fuere: Joh. Huzelin, Paulus Ruccerus et Albertus Bauhof abbates, ex quibus illis suprema*) dixi, Ruccerum etiam ut alterum patrem omni vita lugebo. Ex proceribus Philippus baro Limpurgius, Joh. Henricus ab Offenburg praeter eos quos jam dixi ac quem nunquam sine honore nominavero, Benjamin Buwinghausius Walmerodius, vir maximi usus, propensione sua plurimum sublevarunt; denique cum exteris negociatio literaria tempus transmisit, ut qui annonae flagellis, monetaria profusione**), lue populari et belli tempestate funesti essent anni, parandis excolendisque amicitiis transigerentur, quae supra spem variae ac saepe praeter expectationem Lutetiis, Geneva, Basilea, Argentorato, Heidelberga, Wormatia, Colonia, Luneburgo, Cellis, Rostochio, Gedano, Stralsundio, Lesnā Poloniae, Witteberga, Lipsia, Hildesia, Jena, Lincio, Vienna, Augusta, Noriberga, Altorffio obtigere et temporis acerbitatem mitigavere. Quibus animi recreamentis interposui honestam ex picturarum elegantiis et artifi-

*) Cod. A. B. et a.: suprema verba.
**) Cod. A. et B.: confusione.

cum ingeniosis partibus recreationem, maxime cum ad hanc liberalem voluptatem Noriberga Minervae quasi sedes, qua ampliss. senatus spectabili munere, qua civium nobiliorum promptitudine conferret, ex quibus Johannis im Hoff senioris donum iconis Deiparae Virginis manu Alberti Düreri pictorum principis factae, facile eminet nullo auro contra aestimandum. Succedit Christophori Fürlegeri liberalitas; accessit denique illust. baronis Eberhardi dynastae Rupispoletani nobile honorarium, quo Pauli conversionem Johann. Holbein et ipse summus olim artifex expressit. Quibus praeter variam aliam industriam mechanicam et matheseos fabricas, musaei supellectilem supplevi et quas venationi alii aut aucupio horas fortasse non illiberaliter impendi. Id vero omnium primum et unum me coxit, si qua ratione juvari res christiana et morum innocentia doctrinae puritati conjungi possit. Cui studio reformatae in Galliis ecclesiae ac inprimis Genevensis stimulum addidit. Quo nomine passim melioris notae inclamare visum est; sed cum plerique intra vota et consensum subsisterent et compedibus iisdem quibus ego devincti haererent, in meae ecclesiae curam totus incubui: hoc difficilior habitus, quod quae alii pastores et episcopi admitterent et probarent etiam, ego convellerem, increparem aut sane in dubium vocarem. Non tamen inanis haec omnis opera fuit, cujus sensum posterior aetas testabitur, praesens sane*) nisi cum impietatis patro-

*) Cod. A. B. et a.: sane non.

cinio palam improbare ausa non est. Sic itaque hactenus docui, sic vixi, sic mihi concrediti collegii viginti unum socios voce et exemplo conduxi, ut nec ejus gloriam (quam uni Deo deberi profiteor) affectem et debito meo plurimum adhuc deesse dolens agnoscam, nec tamen in ecclesiae Christi intuitu et poenitere laboris et pudere officii debeat.

Libet nunc velut per saturam recensere, quorum meritis sors mea hactenus steterit, amicitiis subnixa creverit, jucunda conversatione fuerit temperata. Ubi si primas dem avorum honori, ac paterni quidem inclutae famae, materni vero nobilitati, nihil peccaverim. Succedit patris candor et multiplex beneficentia, tum matris virtus virilis et seria devotio. Informationis primae rectioris laudem Joh. Hartigius habet, sodalitatis jucundae memoriam Joh. Balthasar Fesel; ad variam lectionem inductionis Johann. Lindanus Belga. Soeer omnium humanissimus contigit; summa concordia, obsequio et frugalitate uxor convixit; mirus animorum cum fratre*) concentus perduravit. Omnium beneficiorum complexum Davides Magειrus et Christophorus Besoldus implent; ille institutione, hic communicatione: uterque effusissima ope, quos proxime Matthias Hafenrefferus, Andreas Osiander, Michael Zieglerus et Henricus Wellingius insequuntur. Intima familiaritate et amico officio Abrah. Hoelzelius fuit, arcta amicitia Wilhelmus Bidembachius rebus etiam dubiis, Tobias Hessus, Matthias Berneggerus et Joh.

*) Cod. A. et B.: fratre Joanne.

Bernhardus Unfrid studiorum consensu. Patronus opportunus Erasmus Grüningerus apparuit, fautores summi Georg. Acacius Enenkelius et Ludovicus Hohenfelder., quos pone secuti Wilhelmus Wensius, Joh. Henricus Offenburgius, Benjamin Bubinghausius et Wolffgang. Jac. Poemerus. Beneficentia sustinuerunt Henricus Wellingius, Joh. Jac. Engelhard et Christophorus Demmlerus; summae fidei Wilhelmus Ludovicus Francomontius, Conradus Bajerus et Joh. Saubertus extitere. Erhardus Machtolph. in summo mari, Christophorus Leibnizius inter scopulos et Joh. Jacob. Heinlin [115]) ex littore causam Christi mecum egerunt. Quibus solvendo cum neutiquam sim, me ipsum debere ingenue profiteor. Aemulum tuli Thomam Lansium [116]), nulla utriusque culpa, tantum ex Hoelzelii amicitia; adversarios expertus Theodorum Thummium et Lucam Osiandrum politico-theologos [117]), corruptores indignos nomine habeo. Bene maleque volentium magnus est numerus: recreationum et molestiarum temperamentum. Optimis hujus provinciae familiis immixtus didici, bene velle eos, qui non male volunt, velle nolleque plurimos nec posse, rerum intervalla et vices plurimum mutare. Invidiae et calumniae hoc gratum fero, ut quantum domi nocuerint, tantum profuerint foris interea precum inter et conscientiae anxietatem constricto. Ita majores mei et quos unquam cognovi bonos, vitam causae christianae feliciter impenderunt, probris a praesentibus, laudibus absentium et posteritatis juxta cumulati.

LIBER QUARTUS.

SEQUENS NOVENNIUM CALVENSE.

A trigesimo salutis nostrae post sexcentesimum anno novae telae stamen ordiar, quod is et scalaris et evangelii renati publicae confessioni jubilaeus fuerit. Is mihi amicorum calamitate et coenobiorum hujus ducatus deformatione tristis redditus est. Nam cum Wilhelmus Bidembachius j. c. nescio quorum importunitate malae fidei delatus, atque ob id subito abreptus ac Uraci custodiae traditus esset, calumniae mihi fuit. Sed cum nec in ipso Bidembachio culpa reperiretur et autores facti poeniteret: meum etiam periculum, non sine malevolorum morsu, evanuit. Mox cum baronem Francomontium[118]) durus et iniquus pater ob Suenckfeldianismi desertionem vexaret, ac mihi etiam plurimum succenseret; ausus sum brevi Apologia innocentiam viri testari et calumnias spiritus subdoli retundere, quod solamini tam tenerae et afflictae conscientiae filii fuisse deprehendi. Porro etiam Erhardus Machtolphus postquam quadriennio Durlaci episcopus ge-

neralis magna virtutis et innocentiae fama fuisset, cum insidiis consiliariorum principi invisus redditus, nihil monitus nec audita causa, inexcusabili exemplo loco moveretur; magna condolentia a civibus meis receptus ac perbenigne habitus est. Cujus calamitas majori mihi dolori fuit, quod nequicquam quos prius propensos habuisset, auxiliatores implorarem et viri innocentia undique suppressa adversariis ejus majores animos adderet. Sed etiam Christophori Fürlegeri Noribergensis immatura mors, quem ob exquisitiorum artificiorum cultum et morum amoenitatem dilexeram, tristitiae ex Helenae Sauberti conjugis conjunctissimae obitu conceptae accessionem fecit. Quibus immixta sunt aliqua laeta, nempe jubilaei passim indicti festivitas, quae ad sacram synaxin 1486 convivas, et plus minus tesseris totidem diem juventuti et masculae et foemineae memorabilem fecit; dein Eberhardi baronis Rupis-Spoletani [119]) (ex ducibus Spoletanis oriundi) favor, quem ejus aulae ecclesiastes Nathanael Dilgerus [120]) primum apud heram Agatham comitem Solmensem elegantis et ingenii et formae heroinam, tum herum etiam rerum usu principem in thermis ferinis et Cellensibus conciliavit et aedibus meis introduxit. Denique vergente anno reditus ad me Wilhelmi Wensii, qui ad principis Bipontini nuptias ab hero principe Luneburgico missus, ad nos declinavit, et amicitiae pignus Ludovici Hohenfelderi filium Wolffgangum Augusto Luneburgico eruditionis admirandae principi (cujus cum ex ea occasione innotuis-

sem clementes admodum literas accepi) adducendum in se recepit. Nec otiosum mihi hunc annum sivi, altera Historiae Ecclesiasticae parte quam Militantem inscripsi et Fama Andreana in lucem editis, quarum illa meo, haec Weiblingae (quae patria avo fuit) senatui inscripta, non ingratae fuerunt. Caeterum quae nos Septemb. mense improviso obruit coenobiorum occupatio et deformatio [121]), hunc annum plane funestum fecit, expulsis bis centum plus minus ecclesiarum et totidem scholarum ministris, extinctis et dispersis sacris seminariis et palante miserabili spectaculo exulum grege. Cui cum nuspiam solamen aut subsidium suppeteret, Xenorae et Philoleae colloquio succurrere miseris conatus sum et promptam undique manum reperi: sed quod conductores nullibi apparerent et oblatae stipes ingratae essent, frustra fui. Cum etiam post primum terrorem animis resumptis pastores ejecti revocarentur, duos mihi concreditorum ecclesiis suis reddidi. Interea quod supplicationum nostrarum et seriae poenitentiae fructus, morum emendationem et conversionis evidentiam exigerem, morosior ob id habitus, interventu Buwinghausii aegros animos placavi, nec minus inspectionem magis solicitam sive censoriam obtinui. Una vipera quam amphisbenam vocant et in cauda alterum caput habet molesta valde fuit et ante hypocrisi, retro erynni capitibus, qua obstinatione, qua insectatione opus domini tardavit, cujus vindicias exspectat. Cumque etiam dissidiorum semina inter civium meliores sparsa es-

sent, non tuli et propitio Deo in herba suffocavi. Amicitiae ornamenta tuli Samuelis Gloneri poetae Argentoratensis eximii paraphrasin elegiacam Proverbiorum Salomonis inscriptam, opus nobile 7000 amplius versibus confectum. Et Johannis Stadii musici elegantissimi Norici cantionum sacrarum fasciculum dedicatum, atque hanc anno coronidem imposui. Sub finem anni reverendus senex Christophorus Schleupnerus[122]) Hofii antistes me paterno amore complexus in amicorum album intromisit et candidi affectus plenissimis literis beavit.

Qui primus a trigesimo annus successit nihilo vel domesticis commodis vel patriae salute felicior fuit. Februario mense, unico fratre Jacobo[123]) Birckenfeldensium pastore superstite, latronis manu an a lemuribus incertum, intempesta nocte interempto, cum misere 54 vitae annorum magnam partem inter chymicos fumos et uxoris adulterae imposturas traduxisset. Sequenti Aprili filiolus Ehrenreich femur dextrum fregit et hoc infelicitati suae auctuarium addidit; sed haec tolerabilia sunto. Julio demum mense nimbus calamitatis in nos ingruit. Quo Caesarianus miles ex Italia redux duce Egone Fürstembergio comite nos inundavit et post plurimam praedam Tubingae sub jugum misit. Ea res quantum terroris nobis et damni fecit, tantum subito levaminis accepit ex invictissimi herois regis Suecorum successibus. Unde miles Caesarianus jam in stationes divisus, subito avocatus disparuit, eventu (quem Deus secundet) etiamnum suspenso. Annus hic

omnium frugum et vini proventu memorabilis plane fuit, velut in alimoniam depressis et exuctis agri cultoribus concessus. Inclinato anno in familiaritatem haud aegre concessit Rudolph. baro Dietrichsteinius Francomontio successor in praefectura Philo-Cellensi datus, cujus toga sagoque explorata peritia, tum exoticarum linguarum usus antecessoris desiderium aliquandiu levavit, sed postea moribus mutatis in alienationem desiit. Hic totus annus contagio monachorum qui Hirsaugiam occuparant molestus nobis fuit, quem tamen civili conversatione nonnihil mitigavimus, administratore Andrea Geist non iniquo, Christophoro et Hieronymo conventualibus fratribus sic satis eruditis et ad disserendum promptis, maxime vero Casparo Froisio ad nos clanculum propendente, tandem etiam rebus inclinatis palam profugo et ad me recepto: sed quod omne pellentibus armis Suecicis in fugam et dispersionem abiit. Annus hic Apap meum peperit, foetum a multis cordatis et eruditis in lucem petitum; qua fortuna dies docebit, meo certe judicio in tenebris invidiae morsus distulisset, dum veritati liberior aura illucesceret. Annus Christi 1632. varia calamitate domestica mihi funestus, Germaniae etiam cladium vicibus memorabilis fuit. Initium ab Erasmo Grüningero factum patrono valde mihi necessario, consultore etiam rebus dubiis opportuno 7. Jan., cujus exequiis 12. Jan., et supremae voluntatis executioni 14. Febr. interfui. Secuta est optima mater, Maria 25. Jan., postquam 19. decubuisset, elata maximo

luctu nostro 27. Jan., de quibus brevior nunc esse possum, quoniam utriusque laudes justa Oratione[124]) explicavi. Septemb. quinta abstulit mihi, cum Tubingae essem, festivissimum puellum Joh. Valentinum tabe confectum. In cujus solamen cum uxor 25. Octobr. filiolam Patientiam enixa esset, eadem 6. Decemb. [125]), pugna illa ad Lüzam Saxoniae cruenta insignito, fatis concessit. Longe tamen majus vulnus inflixit (ut ex familia mea intra vertentem annum duodeni circiter occubuerint) decessus ecclesiae tristis Christophori Leibnizii[126]) ecelesiastae Noribergensis, viri in asserenda vita et disciplina incomparabilis, fratris mei individui, cujus in causa Christi serii conflictus et indefessum juvandi studium aeternam memoriam merentur. Quod refricatum est funere religiosae matronae Annae Margarethae Belleriae Bajeri mei individui conjugis electissimae. Non defuere tamen hujus anni oblectamenta, quorum facile primarium judico scholae Hirsaugiensis cum Bebenhusana restitutionem, rei Christianae plus quam necessariam; longius tamen nescio quorum cunctatione quam par erat protractam. Successit Ill. principis Friderici Marchionis Badensis clementissima in me propensio. Qui cum acidulis Tainacensibus vicinis uteretur, non dubitavit, me (quem jam in sacra aede audiverat et mensae adhibuerat) invisere 7. Junii et eleganti accuratoque judicio suo artificum quas collegi operas censere atque probare. Cumque Julii 23. Pforzemium expatiatus essem, accitum ad se in arcem

iterum et liberaliter et munifice habuit, ac exquisiti in rebus mechanicis usus evidentia admirabundum fecit. Paulo ante, nempe 9. Julii jubilaeus conjugalis soceri mei Poppenwilae hilari festivitate celebratus est, cujus pleniorem descriptionem meam hic non repeto[127]). Inclinato anno visum est Augustam Vindelicorum excurrere, sociis Erhardo Machtolpho et Christophoro Demmlero. Domo egressus 9. Novemb. in itinere ad principem viduam Nürtingensem diverti per biduum, 13. Ulmam veni, ubi salutatis D. Conrado Dieterico, Balthasare Gockelio et Barbara Constantini Varenbüleri vidua amicis, 15. Augustam perrexi viis minus tutis. Invisi primum Joh. Fridericum principem Palatinum acerbo cum morbo, qui mox lethalis fuit, conflictantem. Dehinc conductu Andreae Reinhardi veteris amici adii Joh. Conradum Goebelium urbis antistitem, et Philippum Heinhoferum aedilem praenobilem, literarum commercio jam conciliatum, cujus favore monstrata nobis est ingentis pretii et infiniti artificii cista scriptoria, munus Augustae urbis augustissimo regi suo liberatori Gustavo nuper oblatum. Cui perspiciendo dum mediam diem impendimus, obruit nos paulo post in Heinhoferianis elegantissimis aedibus luctuosissimum de herois invictissimi obitu nuncium, quod urbem omnem velut de coelo dejecit et 18. post Goebelii indicium in publicum ejulatum et lessum solvit; 17. senaculum lustravimus, cui nescio an Germania omnis simile, cum operis mole et majestate, tum ornatus elegantia habeat. Comiter ha-

buerunt cum Goebelio et Reinhardo optimus senex Bernhardus Albertus. Sed et Petrus Meuderlinus alumnorum urbis ephorus et Michael Müllerus nobilis mercator ac ipse hospes Georgius Laurentius senecio benevolentia et liberalitate certarunt. Redeunti Ulmam 19 equus medio foro per lubricitatem lapsus me pene oppressit et dextrum genu graviter afflixit. Salutavi tamen Ludovicum episcopum ecclesiastem, ac in itinere Geisslingae amicum Joh. Leonem Rhot patricium Ulmensem loci pastorem post multos annos revisi. Inde Esslingae cum Ludovico Hohenfeldero aliquandiu de praesenti rerum periculosa facie collocutus domum redii, pene magno damno mactatus, cum Cellis 50 ducati mihi dormienti in lecto excidissent, quos tamen postea hospes repetenti bona fide reddidit. Nihil autem scriptum hoc anno est, nisi pietatis Germanae ad regem Sueciae Alloquium et memoria Jubilaei[128]) conjugialis soceri. Temporis succisiva Josephi Demmleri ingeniosissimi adolescentis et Georgii Walteri in lingua Gallica institutioni impendi. Caeterum si quisquam, hic annus Germaniae fatalis fuit et in omne aevum memorabilis erit perpetuis tanti herois victoriis etiam improvisa morte, cui parem multa retro secula non viderunt, postera aetas an habitura sit, in dubio relinquitur. Annum 1633, qui novos praefectos Calvae dedit, superiorem Philippum Ottonem Gemmingium, inferiorem Johan. Jac. Andlerum, et ipsum, paucis quibusdam Phoebi stricturis albicantem, atrum nominaverim; initio ab aquarum

inundatione, qualem nemo nostrorum meminit, Idibus Januariis magna structurarum et agri noxa facto, hujusque calamitatis recordatione |8| Idibus Martii educto pueritiae bis centum sesqui capitum choro sancita. Secutum est baronis Francomontii durum crucis exercitium, quod dum apud me per octiduum substitit, haud modico doloris sensu commune fecit. Inde ipsa Desiderii dies quae 10. cal. Junii fuit desideratissimum socerum Josuam Grüningerum terrenae meae felicitatis partem maximam abstulit, septidui circiter morbo post invictam octogenariam valetudinem confectum. Cujus ut vita omnis ad miraculum tranquilla et jucunda, ita mors in exemplum fortis fuit, ut quae propemodum stantem et ambulantem exceperit, cujus exequias qua potui fide et gratitudine curavi. Alterum propemodum patrem, Melchiorem Bengelium, cui*) an. 1614. Vaihingae collegam additum dixi, propemodum septuagenarium, 5. Octob. pari meo desiderio abstulit. Secutae post infelices nostrae expeditiones et ad Villingam [129]) ignobile oppidum geminae strages sub Augusti finem et Septembris initia. In me vero prop|r|ius Aeolus [130]) adversos utres semel iterumque emisit docuitque, se a Grüningeris qui dudum obstabant liberiorem esse. Nocendi sane occasio quaeritur, quam vix est ut ipsa innocentia declinet. Hoc ipsum jam maxime nocet ex bonis natum et cum bonis conversatum esse, postquam mali emi-

*) Cod. A. et B.: cui me.

nent et imminent. Morbus etiam ut violentior ita brevior invasit et deseruit 6. ejd. Septemb. Lenimenta vel negligentis vel aversantis fortunae fuere ad religiosam illam principem Nürtingensem excursio prid. Non. Febr.: Friderici et Ulrici fratrum pr. Würtembergicorum[131]) ad me invisio 5. ejd. Julii: Danielis Hitzleri Grüningero in praepositura succedanei meritissimi familiaritas, dum acidulis Tainanacensibus valetudinem Junio et Julio mensibus curat. renovata: conversatio Buwinghausiana a turbinibus hujus praesentis oestri avocans. Accessere muneris diverticula, tres ecclesiae ministri defunctis et promoto suffecti, qui nunc concreditorum numerum 50. mecum complent. Ornatus sacrae aedis nostrae continuatus, et si quae alia amicitiae data. Ex scriptionibus prodiit Gratitudo in bene meritos et de Restitutione reipubl. Christianae libellorum fasciculus. Hic etiam annus abbates coenobiis cum expulsos restituit, tum vita functis substituit. Unde secuta mira functionum decussatio, quam nonnulli nundinationem suspicabantur. Id profecto piis omnibus doluit, post tantum revocatae libertatis et ex vindicta accessionis strepitum, plurimum ecclesiae ejusque juri decessisse: quam ego rem, utut invitus, qua publice cum Sauberto, qua inter fidos privatim, minime dissimulavi. Quae etiam a theologis Britannis religionis scissae conciliatio proposita et ut de ea inter aequanimos dispiceretur, magno nisu insinuata est, eam mecum Joh. Duraeus[132]) ecclesiastes Scoto-Britannus, amicissimis literis com-

municavit. Quae tamen res, quod altioris indaginis esset, a me nisi quod concordiae studium sincerum et tutum avide amplecterer, atque minime negligendam amicam collationem putarem, dum magis pateret, suspensa est. Injuriam et ab importuno calumniatore mihi circa Majum illatam pensavit quorundam civium memorabilis liberalitas mense Octobri, qua incommodis rei familiaris mitigatis faciendi officii alacritas rediit. Cumque praedandi et lasciviendi licentia ex corrupta castrorum disciplina terram nostram admodum affligeret, ne pestis haec cives etiam meos vel contagio inficeret, magna solicitudine curavi, difficilior aliis, sed mihi nondum satis pro rei atrocitate anxius atque importunus creditus. Inde zelo etiam in nimis frequentem libidinem invectus, durius etiam a crudo et superciloso officiali exceptus sum, re usque ad curiam delata, quae accusatoribus prona, ad justam defensionem surda esse solet, sepeliendi quam corrigendi major artifex, dum interea sub temporis injuria Christus patiatur, impietas triumphet, colligati fastidiant, familiares prodant, socii desciscant, concrediti metum omnem abjiciant, nimbus adversitatum nunquam ad planum iter admissum, semper ad anfractus et confragosa adactum omni succu vitali exhauriat. Atque ita livor, hujus anni, si cum astrologis loquendum, dominus, ut cepit ita periodum satis mihi molestam absolvit. Cujus consilii, an judicii, Deo Opt. rationes justissimae constant. Annus post sexcentesimum 34. Calvae funestus, propemodum exitialis

mihi factus et qui scio annon peregrinationis meae terminalis futurus. Cujus praeludium erat simultas cum praefecto jam ante quidem tacite ab eo susceptа, ac nunc demum in nervum erumpens. Causam dederat, quod cum ego strictiori disciplinae ecclesiam meam non sine sudore, sed et juvantibus bonis quibusque jam diu assuefecissem, nec remittendam eam hoc ambiguo tempore contenderem, juvencus ille et severioris vitae impatiens et exemplis aliorum munitus, laxare hoc jugum palam cepit, non tam impunitate flagitiis data, quam societate roboratis, haud invitis quibusdam civibus, quorum familiam Chaerohansus [133]) quidam ducebat, dudum factiosorum princeps et rectorum consiliorum obex perpetuus, ob id major habitus, quod ecclesiae freno manum injecisset. Hinc diversus nobis labor, sive verius lucta, mihi licentiam et dissolutionem alieno maxime tempore increpanti et exprobranti; illi choreas et tripudia ducenti, commessationes in profundam noctem cum jubilo producenti, nuptiarum insolentes pompas comitanti, vestium luxu, sed inprimis instrumentorum Veneris contubernio, abjecti jugi ecclesiastici licentiam et potentiam ostentanti, valente quidem apud nonnullos melioris sensu et memoria, sed in plerisque deterioris brevicula dulcedine praevalente. Postea ubi dies inspectionis ecclesiae nostrae venit, praefectus adscitis in societatem senatoribus virulenta admodum, sed vanitatis plenissima invectiva intemperiem meam (post fucatas laudes) questus et rectitudinis suae ardorem

professus a Wilhelmo Gmehlino viro pio et rerum utrinque gnaro sic placatus est, ut vel nolenti severior morum censura suscipienda et praesentis calamitatis ratio habenda fuerit. Ego tamen detergendis maculis spongiam jam parabam, cum ecce antesignanus quidam hujus illatae contumeliae Dei manu tactus subito corruit; quod ut socios immane quantum consternavit, ita me haud mediocriter refecit et judicium Domini expectare docuit. Ab eo tempore quantumvis cum fremitu quievere aemuli, sed mox excitatum est mihi aliud flagellum Johannes Majerus, lixa potius quam miles, profligatissimae vitae, et quem nec hominem nec beluam, sed Satanae induvium rectissime dixeris: cynaedus, gulo, scurra, blasphemus, mendax, proditor, atheus; habuit tamen, qui eum vino quotidie eluerent et quorum delicias impietate sua condiret. Is cum sacrosanctas etiam Christi epulas polluto ore profanandas sibi petiisset, suspensus a me quam debebat emendationem in furorem convertit et arcanas praefecti iras atque machinas qua est futilitate undique publicavit. Inter haec flagra, qualia viginti abhinc annis non sum expertus et cui falsus frater[124]) plurimum momenti contulit, nihil turbatus vitam toleravi, nihilo in disciplina custodienda remissior, fortasse etiam stimulis hisce incitatior, sed etiam in ecclesiae ornatum sacras odas vocibus quatuor concinendas (suppeditante modos elegantiores Daniele Hitzlero) typis exscribi curavi, irrito conatu, quod

paulo post exempla omnia conflagrarint. Ereptus est hoc anno ex amicis, sibi sane quam tempestive, Johann. Falkius theologus, vir simplicis pietatis et eruditionis singularis, quo mundus plane indignus erat. Recrearunt e contra cum Gerhardi[135]) theologorum coryphaei, tum Noribergensium et Augustanorum amicorum literae. Schiccardus[136]) etiam meus eleganti Purim festi explicatione honoravit. Martii 17. ad principem viduam excurri, religiosam illam et a Germaniae laceratione alienissimam, sed vah quam indignis modis postea habitam. Junii 17. dynastam Rupis-Spoletanum thermis ferinis valetudinem cum aula curantem invisi, ubi et heroi illi Friderico comiti Solmensi[137]) innotui. Accessit amicis Dilgeri mei dilectissimi conciliatione Jo. Christoph. Onolspacensis*) medicus qui paulo post decumbentem morbo domi refecit[138]). Etiam Conradi Theodorici[139]) theologi veterani et de ecclesia Christi meritissimi, dum thermis Cellensibus uteretur, conversatio inter auspicata merito haberetur, nisi utrumque infortunio mactasset, quod excellentis sui in Sapientiam commentarii exempla 18. venundanda in me recepissem, quae tristi nostra flamma pleraque interierunt. Elegantias meas princeps Fridericus Würtenbergicus[140]) in Gallias abiens flore picto exquisitissimi operis condecoravit, cui altero die faustum iter precatus sum Phorcemi 3. Junii. Flos

---

*) Cod. A. et B.: Jo. Christoph. Airer Onoldini.

cum aliis maximorum artificum manibus perfectis tabulis in cineres abiit, cum tot variarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua et incorrupta quae reparari nequeunt apud me interierunt. Jam restitutum erat extinctis obstaculis stipis pauperum colligendae diu intermissum institutum, sed et majoris molis negotium mihi perfectum credebatur, sc. ut negotiatores nostri tanto tempore et fortunis aucti et in mediis periculis mercibus salvis et commode divenditis servati Deo gratiis ferendis posthac ex singulis mercium partibus aliquid penderent, quod holocausti vice servandis et propagandis ecclesiae rebus serviret. Fuisset haec summa annua florenorum circiter mille. Cujus bucella aliqua Sebastiani Andreae Birutensis, nominis similitudine an aliqua agnatione mihi conciliati, honoribus literariis impetrandis jam cesserat. Nempe triumphabam hoc perpetrato tandem facinore ac subactis obluctantibus, quorum caput solennis illa remora erat; meditabar etiam praeter studiosos tenuioris fortunae, exulibus stipendium, quo indolis pariter et innocentiae ratio haberetur: sed Deo aliter visum, qui me velut ex Apogaeo rerum mearum in Perigaeum dejecit, ut qui succurrendis aliis omnes rationes circumspexeram, ipse paulo post omnium rerum humanarum atque adeo victus et amictus indigus, alieno labori et curae supersederem. Cladis nostrae initium adversa ad Nerolingam [141]) pugna cepit. Inde paulatim ad nos delata tempe-

stas, cum jam dedita Stuttgardia et Tubinga fuissent, facile diverti a nobis vel sane mitigari potuisset, si quid sanae mentis comptulo nostro et capistrato adfuisset. At is supercilio suo jam fastidire collegas, seniores nugis implere, cives minis et verberibus mulctare, omnibus sufficientiam suam absque rerum usu impetratam jactare suetus, inter lotrices et netrices, ne quid durius dicam, conciliabula agens, hostem susque deque habuit sc. eadem insolentia, qua Dei misellos operarios, subigendum. Pergitur ergo symphoniacis et choreis, lusibus et pigmentis corporis, jam cum princeps noster cum praecipua aula et curia se propere subduxisset. Imo postquam fatali nobis die Gültlingius, dolo an tumultuario et actuoso suo ingenio incertum, diutius apud nos quam par erat cum tormentis substitisset, vino malvatico tantisper medio foro pergraecari visi sunt, dum hostis ad portas adveniret. Quem nescio annon a somno sepultis, certe a foemina tandem excitis frigidius auditum et lentius admissum ob id implacabiliorem habuimus; certe probabili aliqua immanitatis contra nos excusatione instruximus. Ita qui mores prius nostros corrupit et disciplinam solvit, postea et urbem ipsam perdidit, suo quidem magno malo et procacissimae uxoris indelebili dedecore, nostro tamen nescio an reparabili damno, quibus irato Deo in perniciem nostram semi-vir hicce immissus est.

Caeterum historia ipsa qualem tunc obiter descri-

psi[142]), haec est: Appetente cladis nostrae funesta die cum alia omnia, tum geminus terror panicus praecessit: ille 8. Septembris cum ex incerto advenientis hostis rumore civitas omnis se portis effudit; hic sequenti die in sacris aedibus inter publicas preces repetitus est, ubi vel effractis fenestris concio turbide diffugit. Unde ut liberis meis caverem, consilium cepi eos in pagum nec nimis dissitum, nec adeo urbi propinquum subducendi. Atque ita Neowila electa, cujus pastor Jeremias Rebstock elegantis ingenii et ex selectioribus amicus fidem egregie probavit. Decimo Septembris summo diluculo nuncium venit de direpta Stuttgardia et ecclesiasticis ibi miserrime habitis; quod etsi vanum, saluti tamen mihi fuit, qui nondum de fuga cogitaveram, adeo ut eam meis et amicis modis omnibus dissuaserim, quod in dedititios et supplices saevitiae locum apud Christianos esse nondum scirem. Itaque me propere cum uxore liberis comitem adjungo, cui adhaesit Josephus Oesterlinus nuper Anhusani coenobii abbas ejusque conjunx. Eximus modica caterva sarcinulis utcunque collectis, quibus ferendo essemus, pone relicta omni suppellectile, cui haud vano praesagio ultimum vale diximus. Ubi Neowilam ventum, evocato Wilhelmo Ludovico barone Francomontio Altensteigii archipraefecto, de effugii rationibus sententias contulimus, sed cum via nulla pateret, interclusis etiam angustiis et claustris, ad praerupta et deserta ac propemodum hominibus in-

accessa nos conferre adacti sumus. Primum hospitium contigit mons ab Aurogallorum nobili aucupio nomen sortitus. Ubi cum ad mediam circiter noctem utcunque quievissemus, loci villicus nos trepide excitans convasatis reculis suis, opacis et anfractuosis silvis nos albescente die abdidit. Jam conspiciebantur ex hujus montis vertice distincta incendia; de locis tamen nondum liquebat. Sic etiam alter dies sub horrore et tremore absumebatur, de annona tamen Rebstockio sic satis prospiciente. Noctu dirum ac ingens incendium apparuit conflagrantis ut prima luce constitit Calvae nostrae, cujus tristes et anxii spectatores in montium jugis constitimus. Transierat quidem jam non sine malo apud nos Fridericus Holzius equitum dux cum turmis aliquot Germanorum et Gallorum ab infausta illa et fatali nobis Villinga revocatis. Successerat Ja. Bernh. Gültlingius legatus, cui in mandatis datum, ut tormenta quinque majora in tutum subduceret. Qui dum lentius agit, hostis celeritate praeventus nobis tempestatem omnem induxit; ipse vero cum nobilitatis utriusque sexus fugam capessentis multitudine praeter aliam turbam apprehensus est Neobürgae. Cessit hosti cum equitatus et tormenta, tum ingens nobilitatis gaza et mundus muliebris maximi pretii. Caeterum Calvensis tragoediae seriem a Christophoro Lucio praeceptore nostro nimis quam rebus ad rogum usque urbis praesente sic accepi. Johannes Werdanus Bavarici exercitus dux supremus

cum ad portas nostras utcunque impeditus esset, sive iram simulans sive decreto effundens, prima irruptione ferro in obvios quosque saeviit brevique depraedatione urbis delinitus, quos insequebatur subito deprehendit. Inde remissis copiis, quae nihil immanitatis reliqui fecere, ita miseram atque innoxiam urbem diris suppliciis exposuit, ut sacris profanisque nullis, publicis privatisque nullis, quod jam in minimo erat, sed nulli sexui, nulli aetati, nulli ordini, nulli vel a natura humaniore immunitati concessae parsum, verum cuncta caedi, libidini, rapinae et crudelitati plus quam Thracicae objecta fuerint. Quod abominere! Decrepiti senii capulares octogesimum aetatis longe supergressos et anus deliras tum animam agentes, insuper et mentis impotes excarnificare exquisitis tormentis, in deliciis erat; idque prima nocte, qua auri argentique sive signati sive fabrefacti, quod unice captarant, vim ingentem vel reperere, vel extorsere, civibus etiamnum ferales epulas, sive suas exequias parantibus et apponentibus. Ubi lux altera atque funerea apparuit, repetita cum variis quaestionibus laniena, nihil intermissum, quod vel defossas opes erueret vel sanguinem intimum medullasque ipsas imas eliceret. Captivis et tortis nullum lytrum unum alterum profuit, nisi fidiculis ab aliis aliisque repetitis assuefacti ad extremam pauperiem aut mortem usque obdurarent. Fuere, qui nonies deciesque alios tortores sustinuere; fuere, qui vicies vincula successive subiere.

Sic dies lente et per vociferationes ejulatusque tracta, elabentibus tamen ut mea opinio est non contemnendi numeri hominibus. Nam vel ad me hac die in sylvarum abdita plures confluxerunt, qui miserationi potius, sed et oneri fuerunt, quam ut ego vel succurrendo vel sustinendo essem. Deprehensi in urbe cum aliis Johan. Jacob. Andler praefectus, Ludovicus Kleinbub consul, Georgius Hess actuarius, Joh. Jacob. Doertenbach judex, Joh. Jacob. Stuber ex primariis civibus, et serviliter ac indignis modis habiti alii, qui post vulnera et flagra magno se lytro redemerunt, fortunis nihilo minus omnibus extortis aut perditis. Christophorus Demmlerus vir latae famae a multis petitus per medios hostes erupit et huc usque omnem persequentium indaginem est frustratus. Est genus inter alia tormenti recentius, ni fallor, quem Suecicae sanitatis[143]) per contumeliam haustum vocant, cum humi prostrato et distento orisque rictu firmato aquae vim magnam infundunt rursusque stomachi violento impulsu elidunt, quo quicquid in abditis est extorquent, ut omnis pietas, fides et caritas secretissima quaeque credita prodat. Hinc nihil juvit vel terra defodisse vel aquis demersisse vel muris immisisse vel speluncis aut sylvis abscondisse, aut ulli naturae sinui deposuisse. Sic die cruciatibus miserorum et confringendis supellectilibus sive ornatissimis sive artificiosissimis sive pretiosissimis, quibus fortasse barbarae manus parsissent, noctu stupris foeminarum et puellarum etiam immaturarum, qua-

rum aliquae parentum incredibili cordolio plagio abductae, immane quantum indultum. Media circiter nocte immunitate ab incendio 6000 fl. necquicquam pacta diversis locis cum intra tum extra moenia urbi ignis injicitur ita circum circa dispositis excubiis portisque clausis, ne quis civium elabi posset. Id enim cruenti consilii erat militi inprimis Croato tardius quam volebat praedae supervenienti, ut omnis sexus et aetas eodem rogo consumeretur. Sed succurrit gementibus et ejulantibus Deus, ut quicquid anniteretur nec portis nec moenibus, sed nec etiam ferro diffusam turbam ita concluderet, quin se pars praecipitem de muris daret, pars per funes, pars inclinatis abjectibus dimitteret, omnes tandem praeter perpaucos igne praepeditos et haustos absque insigniori noxa elaberentur. Beneficio fuere montana et arboreta in proximo equiti inaccessa, non tamen haec salus absque vulnere civibus stetit per enses et sclopeta penetrantibus, ut non pluribus lethale fuisse miraculi et omnipotentis Dei manus indicium sit. Periere autem sive media rabie, sive post ex vulnere plus minus octoginta tres praeter eos, quos flamma depavit, incertos. Vulneratorum bis centum superfuere, viginti circiter de vita incertis. Eminuere ex trucidatis Marcus Zeschlinus Lauinganus octogenario major, quinquaginta amplius annis judex jam rude donandus, cygnaei candoris dira morte peremptus. Martinus Zieglerus et ipse jam dudum canus ac emeritus judex apoplexia diu domi fixus, sed non minus ad mortem usque cruciatus:

Georgius Weissalius judex sexagenarius inflicto lethali vulnere animam diu traxit tandemque 28. Sept. reddidit. Mactata etiam miserrime est Elisabetha Josephi Büchsensteinii consulis nuper vita functi propemodum nonagenaria conjux, postea in cineres redacta. Ludovicus Gerber tranquilli animi ac vegeti corporis senex, per sexaginta annos unius uxoris maritus post octogesimum quintum aetatis immaniter excarnificatus terrae tamen cessit. Johannes Schauber cui Frewden Hanß cognomentum, rei lautae mercator, animam ex morbo trahens supplicium tamen non effugit, quin violenta ac dira morte medium tostus interiret. Sic varia infelicitatis sorte decem septuagenariis priores viri quondam fortunis et officiis conspicui, octo vergentis in senium, duodecim provectae, decem maturae aetatis praeter anus et matronas honestas aliquot occubuere, quae laniena Croatarum maxime immanitati tributa est. De mente captis et deliris ac innoxiis infantibus tantundem statutum, ut non tam Christianae miserationis, quam omnis sensus humani oblitum apparuerit. Ajunt, nullas supplicationes et geniculationes tantum valuisse, quin lethum in cruentum vulnus potius quam salutem datam conversum sit. Interim cum stupore audias, quibus cuniculis, ambagibus et artibus miselli tam implacabiles manus eluserint, sive verius quam evidenti angelorum subsidio plerique subducti fuerint. Hausit tamen et aqua vadorum ignaros, quae aliis profuit, cum hinc igne, inde aqua transeundum fuerit.

Non reticendus est mihi hic Caspar Nicolaus vir pertenuis fortunae ac simplicior habitus, sed religionis tenacissimus et superiorum observantissimus. Quicquid injungebatur id summa fide et scrupulosa anxietate exequebatur. Hinc stipis ipsi pauperum in cauponis colligendae et petulantiae puerilis in templo coercendae munus commissum, cui Paulina solicitudine et Catoniana severitate praefuit. Is cum in cruentas manus incidisset interrogatus: anne ex Suecicis nebulonibus esset? respondit: se Christianum et Suecicae causae asseclam esse. Cumque ob id duriter vapularet, ille nihil territus Suecicum se vivere et mori paratum professus, acceptis toto corpore numerosis, sed minus lethalibus vulneribus, inde igne ustulatus ut sentiret se mori, invicto animo quamdiu lingua paruit, confessione Christiana et Suecica, qua coelum sibi cum Sueco rege expectandum indubius esset, ad ultimum halitum inter diuturnos cruciatus perseveravit pioque martyrio est defunctus, dignus cujus nec nomen inter simpliciores Christi interiret, nec quos reliquit orphanorum trium tenellorum oblivio nobis obrepat. Ut primum illuxit et evasisse ignem destinatas victimas apparuit, tum demum nova tragoediae scena apparata est, hominum in sylvis et ferarum lustris venatio ea feritate hostis et pavore promiscuae multitudinis, ut brevi intervallo per aliquot miliaria pusionum et imbecillis sexus velut exercitus per summa et ima ac vix damis pervia dispersus, nec tamen quantum innotuerit, unicum caput captum sit. Cum

enim civitas nostra paulo ante desolationem 3821. capitibus constiterit, e quibus nisi qui fugam anticiparunt plerique numeroso milite cincti et obruti fuerint, majori admirationi erit, si tantillos laesos aut interemptos cum superstitum inclusorum numero et tanta hostis in media diritate vigilantia nocendique libidine conferamus; quod nisi divino umbraculo adscribamus, nulla humana ratio assequetur. Molle habeatur post carecta alienam calamitatem spectantibus, taediosum sub cuticula et ad secundas mensas tragoediam nostram audituris singula afflictionis nostrae membra recensere. Unum tamen ex pluribus reticere nefas duxi. Cum plurimae feminarum infantes ulnis volventium atque ex iis sex recentes puerperae jam propemodum cum tenellis frigore atque fame enectae sive mortem praesentiorem sive misericordiam ab immanitate etiam exorare in animum induxissent, duro necessitatis telo adactae equitum tribunum numero septuagenario praeter propter adeunt et in genua provolutae protensis pariter brachiis et nudulis infantibus miserabili ejulatu vitae necisve arbitrium tradunt. Tribunus exorari se passus, non idem turmae suae barbarae, sive Cossaci, sive Croatae fuerint, persuasit, quae paratis equis impetum in supplicem turbam factura ungulisque equorum conculcatura (quod nisi a Scytha olim perpetratum, nunquam repetitum memini), nisi rem praesentiens tribunus commode miseras a se submovisset. Hinc fremere eques, tribunum, quod munusculum etiam addidisset, insectari, rebellium fautorem et

socium clamare et ad necem poscere, ut qui paulo ante salutem aliis concessit, de sua jam periclitaretur. Sed ereptus superiore imperio avocataque propere turma, tempestas desaeviit vitaque nostris superfuit; caeterum manus haec latronum paulo post ad Heidelbergam internecione deleta meritorum poenas dedit. Interea ego nunquam ovilis mei desertor, tantum hostilis violentiae evitator inter clivos rupesque cum imbelli mulierum et parvulorum grege interdum plus ducentario formicarum instar inerravimus, ubi coeli favor per hoc totum calamitatis tempus insolens mirum quantum profuit. Postquam conflagrasse urbem constitit, secessimus Aichelbergam magis etiam horridum locum: ubi dum de latibulorum distributione sententiis variamus, etiam proditi hosti ab internecione unius horae quadrante abfuimus. Itaque saevitum in loci opimiorem incolam, qui post immanes cruciatus cum domo sua crematus est. Hinc ceu turbine abrepti Gerspachium trium miliarium itinere profunda nocte delati sumus magna civium qui hostem suspicabantur consternatione, quae mox in indignationem versa, nobis iterum propemodum exitio fuit. Audita publice vox est excitantis, ut Calvenses canes caestibus interimerentur. Meliorum tamen, e quibus Johannes Gross institor, prima meritus, sed etiam diversae religionis beneficentia id quicquid vel terroris vel erroris fuit rependit, quae nos biduo quasi in securo refecit. Caeterum milite etiam ad illas oras penetrante et omnem vicinum agrum populante, cum propemodum

interclusi essemus, primum clementiam victoris tentare visum, inde oborta consternatione, retro nos in praerupta ac saxosa denuo recondere fuit necessum. Hinc palantes ac in minutiores cohortes divisi, ego quidem solus cum nepote ex fratre Johanne, Josua et filio Gottlieb in profunda valle Lauterbachii ad limpidum rivum in campestri horreo delitui 15. Sept. Ea nox summa animi et corporis quiete acta, cui et altera addita, sed mutato in aliud horreum hospitio, victum suppeditante Petro quodam Schüllio supra sylvestrem fidem a me ornando. Tertia die credulitas nobis propemodum fraudi fuisset, cum Gerspachium lactati vix hostis casses evitavimus. Jam enim omnibus iis latibulis, ubi Oberstenrothi, Hilpolsaviae, Reichenthali, Weissenbachi, Langenbrandi et hinc inde alibi ingenti numero dispersi degebamus, insidiae nobis structae erant conductis venatoribus saltuosorum locorum peritis, qui canum indagine nos assequerentur. Quorum praedam nos procul videre luctui simul et documento fuit. Redditus colono meo, cujus uxor parturiebat, noctem insomnem duxi horisque ante lucem tribus montium fastigia emensus, sublimibus et imis vallibus superatis ad Rebstockium redii, qui cum filiolo meo Ehrenreich quem credideram Hoffstetti aeque exul egit. Jam elanguerat filiolus frigoris et inediae impatiens, quem Christus placide evocatum mentis et coeli libertati reddidit 20. Sept., cum paulo ante discessissem. Revocabantur enim Calvam amicorum literis quasi rebus undique, quantum tempus ferret,

compositis, quod sibi compendio hostis duxit. Calvae meae bustum intuitus, cadaverum urbium non jam primus spectator, equidem exhorrui, multa animo volvens atque reputans, quae eloqui in praesens fas non est. Illud sane vel praecipue doluit, me non vanum vatem exitii pridem fuisse, utut jam calamitatis socium. Accedebat occursus miseri gregis inter focos et cineres, opilioni tamen suo reditum et vitam cum corpore salvam cum ejulatu gratulantis. Ruimus in mutuos amplexus, illis tantum cunctantibus, quorum facibus salus publica conflagravit. Jam praecesserat biduo collega Zacharias Greinsius et ipse tempestive periculo ereptus ac per intervalla fugae comes. Unde matutinae vespertinaeque preces cultus divini initia fuere in sacello quondam D. Sebastiano sacro, sed pietate Joh. Jacobi Doertenbachii ex ruderibus quasi restituto haeredumque Petri Walteri impensis ornato, atque praesepi Christi anno 1627. 26. Decemb. per me dedicato, nimis quam pro anhelantium turba angusto, in magno tamen rebus nostris arctatis misericordiae divinae accessu numerando. Nam cum urbs quantum moenibus circumdabatur praetereaque suburbia tria, aedium in universum circiter 450 flammis depasta fuisset: aedes sacra major civium atque perpaucorum promptitudine plus quinquenis florenorum millibus ampliata et ornata, minor extra urbem coemiterio insita et exequiis destinata, senaculum, praetorium, domus parochiales, scholae, pharmacopolium Reinhardi Jacobaei, officinae mercatoriae,

promptuaria et quicquid publicum privatumque; iisque annales, fasti, rationes ac quod unquam ad posteritatis memoriam asservandum fuit, inclusi, una cum omni supellectile, nisi quantum Laverna extulit, interierint, ut propemodum ex eorum qui vixerint numero aboliti videamur; hoc sacellum jam unicum asylum nobis superfuit, quod nasutulis olim superfluum visum sorduit. Periit mihi cum abaci, tum musaei atque rei familiaris supellex omnis, quod praeter viaticum domo nihil extulissem. Duo tamen vel maxime affligere recordationem meam possent, si quid rebus terrenis et peritoriis tenerer: unum manuscriptorum irreparabilis juxta et inaestimabilis thesaurus jam ab avo et patre laudatae memoriae ad me derivatus, inde multo labore digestus et meis amicorumque auctionibus multiplicatus plurimorumque illustrium et celeberrimorum hujus aevi alloquiis ornatus, de quo nonnulla in Fama Andreana mentio[144]); alterum tot elegantiarum ab exquisitissimis varii generis etiam priscae aetatis artificibus petitarum et qua majorum successione, qua Magnatum munificentia mihi submissarum congeries, Düreri, Cranachii, Holbeinii, Bockspergii, praeter recentiores; autopoea: organa et instrumenta musica, mathematica, mechanica singulari industria confecta; automatum, imaginum, cistarum scriptorialium, chalcographiae et xilographiae insignioris, sculpturae, coelaturae, acupicturae vis supra privatam sortem, et cujus pretium subindicare pudori; sed cum simplici eoque inviolabili obsequio cuncta

atque singula haec et illa in manus Dei dantis et recipientis consignaverim, memor olim totius universi in cineres redigendi, nolo ea de re posthac verbum addere. Superest tamen mea non contemnenda bibliotheca sub aedis sacrae fornicibus tecta, ubi etiam auctuarii scrinia in magnum urbis renasciturae et posteritatis commodum servata sunt. Nunc pertexenda est calamitatis nostrae historia. Vixdum fidem salvi conductus secuti conveneramus, cum Johannes Laurentius diversoriorum designator equitum turma invectus pretium pactae ab incendio urbis immunitatis extemplo minitabundus exigit. Additum ludibrium, quod periisset sibi dolori, nec fraudi esse posse, sive militis incuria, sive quod verisimilius, civium desperatione ignis injectus sit. Poscebantur **6000** fl. nullo dilationis vel unius diei, sed nec obligationis beneficio relicto. Hic nova trepidatio, milite horrendis dejerationibus exitium reliquiis nostris intentante, utut jam ante **450** fl. praesentibus redemptis, civibus jam ab omni aere exhaustis, nec ut mutuo alicubi acciperent, dimissis. Tandem muneribus et lytro circiter florenos mille (qui veluti supremae civici sanguinis guttae fuere) in praesens soluto ad **4000** fl. Francofurti liberanda, exustae urbis praemium ad posteritatem nefandum diminutum est. Ab eo tempore nulla propemodum dies, quae vel damno nobis vel certe summo pavori non fuerit, animis hominum superterrefactis, ut non tantum penitus liquescant, sed persaepe intra paucas horas concidant. Quem heri obambulantem

vidisti, hodie tumulari audias. Accedit victus et amictus inopia divitibus et pauperibus ex aequo partita, cui ob funestas vias nemo vicinus succurrere potest. Tum imbellae aetatis humi stratae et ab aeris injurīa nuspiam tectae lenta consumptio et lactentium ex matrum tremore corrupto succu velut veneno infectio, insuper vulneratorum post exquisitos dolores et per tenuem curam expiratio, quae malorum congeries lue succedente velut examen apum morbidum concidere nos et per singulas dies senis septenis et ultra funeribus attenuari facit. Ita haeremus in urbis pridem satis spaciosae et speciosae velut appendice, rebus omnibus humanae vitae subsidio debitis non tam exuti, quam tanto jam intervallo exclusi, quod nescio an facile ulli locorum desolatorum contigerit. Hinc mutuum lugentes et consolantes tempus trahimus, pendente tenui filo vita et reculis quantillis ad omnem strepitum expositis, omnium tamen minime de superna ope et rerum afflictarum restitutione desperantes. Stipem quidem lugubri voce pauperibus nostris (quod unde demus nobis relictum non sit) a vicinis quaesivimus, sed quae in hunc diem inexorabili duritie et apud posteros indelebili macula negata nobis est. Ergo vel ex morte malorum finis et melioris vitae initium expectandum est, et solamen nobis ab eo, ad quod alii horrent et contremiscunt, petendum: quod cordate adhiberi, ego auritus et oculatus testis esse possum, modo non, quae jam apud nos est omnium caritatum facilis oblivio ac mortis prae vita

tali etiam in tenere dilectis optio, in brutalem duritiem degeneret. Expiati seria contritione et fide in Jesum crucifixum nostrum concepta, sacra synaxi convenimus numero 659. minore quam pro desiderio, cum ingruente turma equestri dispergeremur. Fuere qui obniterentur tanquam mortis viaticum suscepturi; in aliis praevaluit expertae crudelitatis horror. Nemo credat, quantum trepidationis sit in grege nuper lupis exposito, nunc nuspiam clauso et in arctum compresso.

Exequias ivimus defunctis nostris 3. Octob., qui viri 44, juvenes 5, peregrini 5, foeminae 13, virgines 4, impuberes et infantes 14 recensiti sunt. Flammis consumptorum numerus nondum constat, minor tamen quam pro rei atrocitate creditur. Numerata sunt ante desolationem nostram capita officialium 11, quibus decem conjuges, civium 602 cum 572 uxoribus, viduarum 117, adultorum et impuberum liberorum 1845, servorum cum pueris 407, ancillarum 211, in leprosorio 9, exulum Svenningensium 37, ex quibus quot et qui supersint, Deus novit ac dies docebit, cum in diversa dispersi nos mutuum ignoremus. Caeterum evidentis judicii divini fuit, multos ex iis, qui bellum Christo clanculum moverunt caput nivei, pectus atri, diro quasi supplicio interiisse, cum caetera insontes crederentur, stupra tulisse, qui ante pudori minus consuluerunt, opes evomuisse peculatus suspicione partas, ad choreas nudis etiam pedibus et ejulantes adactas, quibus nunquam lasciviae olim satietas erat, ac

omnino talionis quasi jure repensum, quicquid nuper per contumeliam et ludibrium ecclesiae obtrusum erat. O ne intres Deus in judicium contra nos, quod tam exquisitum est, et ut nosmet ipsi judicemus, animo nimis inter peccata securo suppedita! Quae post acciderint, paucis expediam. Cum omnibus officialibus de hospitio prospectum esset, mihi uni id est negatum, verbis quidem aliquandiu datis, postea animi aegritudine palam ostensa, cum extra suburbii pomeria propellerer, postea etiam militari contubernio onerarer. Accessit criminator, tonsor quidam Leonhardt Engelhardt, homo nequam et ipse factionis anti-ecclesiasticae socius, qui aliorum sensui linguam petulantem commodaret: sed et subdoli quidam et bilingues ferociores redditi sunt, postquam confuso urbis regimine ecclesiae parum praesidii esse apparuit. Civium tamen pietas et constantia turbidis hisce et afflictissimis rebus praesto fuit. Interea lues, quae contagio potius quam afflatu hactenus nocuerat, grassari immitius et latius coepit, depastis jam post 3tium mensem quadringentis capitibus, quibus ut remedio, victu, stragulis et ministerio succurreretur, opus laborque erat, opulentis ab omni peculio exutis, vicinis in nos omni saxo durioribus, magistratu nihil minus quam in hanc curam intento, nec jurgiis etiam adigendo. Itaque velut ex silicibus aqua expressa, quantilla fuit, solamini tamen et producendae vitae profuit. Me omnibus fortunis, quae 4000 amplius florenis stetere, exutum fidi pariter et perfidi amici

destituere, illi vel locorum intervallo, vel obsessis ab infesto milite viis exclusi, hi suo judicio absoluti, ut discerem, quantum honestae paupertatis praecepta inter opes concepta usu ipso valerent et quae aequanimitatis satietas adeoque voluptas esset. Cujus gratiam Deo me debere libens profiteor; nihilo mihi minor, nihilo etiam indiligentior, sed nec perditorum desiderio afflictus aut reparandae fortunae avidus, nec irritorum tot laborum poenitens, vel memoriae quasi inter homines extinctae dolens. Robore hoc non ex Stoica aut aliorum Ideistarum penu petito, sed meditatione vanitatis humanae et intuitu perfectissimae vitae Christi acquisito, cujus institutionem Lutherus noster divino illo in ecclesiastem Salomonis commentario jam dudum suppeditavit, vivum exercitium magisque*) conciliavit, Deus ipse incredibili tranquillitatis sensu obsignavit. Secutus trigesimus quintus, qui carceris mei appellari potest, in paupertatis contubernio, quod paradoxum audiat, qua corpus, qua animum duabus tertiis, sic satis commode est exactus. Prima in conducto habitatio contigit in Matthaei Hepperi aedibus, quas genero Francisco Ergezingero dotis nomine dedit, hospitibus admodum bene volentibus et officiosis. Arcte quidem habebamus, sed laxavit familiae obsequium, donec publico diversorio locus datus est, cujus strepitu et militari potissimum insolentia invitus secessi in Christopheri Majeri aedes et amplio-

*) Cod. A et B: magis magisque.

res et sacello nostro propiores minusque turbidas 7. April. Sed cum (caetera benigne habitus) discerem, quantum intersit suo an alieno foco vivere, coepi de exstruendo qualicunque tuguriolo proprie*) serio cogitare, quod etiam perfeci ab 21. Jan. ad 23. Junii, immigravique, quod Deus auspícatum velit, 3. Augusti, adjutus prima quidem liberalit[at]e Benjamini Buwinghausii, dehinc Agathae Solmensis comitis generosissimae Rupispoletanae regulo nuptae, Joachimi Bokenhoferi et aliorum, quos Nathan Dilgerus in adversis amicorum probatissimus, conciliarat, florenorum circiter 100 subsidio. Nam a propinquis et multiplicibus vinculis conjunctis, quod simul semelque expedivero, obolus non cessit, nisi quod Agnes Grüningeri vidua Varenbüleria beneficentiae omnes numeros opportuno tempore supplevit. Quin potius quasi res lauta superesset, ad me reditum et obtrusum, quicquid sordida aliorum tenacitas excluserat, ut saepe tres familiae alendae fuerint. Nihilo tamen minus ad Maji usque initium meo aere vixi, cum undique salarium esset suspensum, a quo magistratus, pudore an aliorum exemplo motus quaternos mihi hebdomatim florenos mutuos constituit dum stipendium rediret, quibus binos societas nostra addidit, quo hactenus libenter acquievi. Labores vero majores quam unquam ante accrevere cum ecclesiastici tum civiles, ac illi quidem ob luis popularis saevitiem ex superioris anni de-

*) Cod. A. B. et a.: proprio.

cursu ad hujus Martium continuatam, postea remissiorem, sed statim in Julio recrudescentem et ut nuper plebi, ita jam opimioribus formidabiliorem, quae jam ad Septembris medietatem 500. capita desecuit, cum pridem in numeroso civium coetu annus centenis circiter funeribus expiaretur; hi vero restituendae politiae plane dissolutae, cicurandis moribus licentia efferatis et alendis curandisque inopibus debiti. Nam cum, rebus nostris uno excidio perditis, tanta miserorum turba fami, lui et dissolutioni absque omni humana ope et medela exposita superfuerit, ut pridem lanienae, ita nunc lentae et lamentabili morti depascenda: a postremo exorsus, ordinem aliquemcunque et politiae umbram restitui, magistratum officium recapessere non sine fastidio et invidia hortatus, civibus obsequium vel per jurgium ingerens, aequitatem in publica furandi licentia, bacchandi consuetudine abstinentiam, libidinis confusione pudorem saepe cum ludibrio propinans, quod tandem supra meam etiam expectationem frustra non fuisse voti reus sum. Inde ad solandos fovendosque aegros et sepeliendos defunctos, quorum septingentorum stragem mors brevi intervallo fecit, conversus, subsidio vel unius oboli ab omni etiam tum salva vicinia, nunc justo fortasse supplicio affecta, nobis improbe denegato, a reliquiis nostris haud sane ubique promtis exigere et cum emulgendo, tum distribuendo plurimum sinistri judicii et dissonae vocis perferre oportuit. Denique alendis tot famelicis, maxime vero orpha-

nis plus quam centenis, vestiendis plane nudis, tegendis ab omni hospitio exutis, id opus laborque fuit, sed et quem animo invicto superavi atque in hunc usque diem divino munere produxi. Res haec stetit millenis aliquot nostris florenis, quibus accessit exterorum commiserans et benefica manus, liberalior futura, nisi metuisset, fraudi id nobis apud publicos praedones esse posse. Interea nihilo mitius*) nos exactionis belua, praesidii monstrum et commeatuum vorago exercuit, quae saepius lugubri voce deprecati, frustra et risui fuimus, quasi qui fundum nostrum tot alendis parem improbe negaremus, ut nova mihi quasi contentio cum pietate meorum exorta sit, cui subinde Deus ex alia aliaque machina occurrit, ut ad laetam messem diu illam optatam viribus et viris magis quam passim integris accincti stemus, cui Deus benedicat! Haec nempe curandi coetus mei officia durius me quam omnis fortunarum jactura exercuere, nunquam dejecere, quod mihi subinde post in publicum emissos clamores et recti servandi studium, jam praxin ipsam atque adeo rhodum et saltum abjicerem**), ac sicubi languerem***), exprobrarem. Supra vires propemodum incubuit quorundam ex ordine nostro levitas et perfidia, anne tempori serviens, an laxitatis opportunitatem avide amplexa, quibus quin

*) Cod. A. et B.: nihilo minus.
**) Cod. A. B. et a.: objicerem.
***) Cod. A. et B.: languescerem.

ovile Christi proderent *), nihil nisi vel hostium cunctatio obfuit, paratis pessima quaeque et patrare ipsi, et suis permittere. Nunc frugem simulant, ubi suspensam procul salutem veluti reformidant, multum ruminante me, quem jam non pluris quam larvam umbratilem habuerunt. Perstitere tamen fratrum plures officio, fide quippe, patientia, temperantia, rectitudine, obsequio, terrenorum neglectu, etiam ad sanguinem usque fortitudine, quos Christus Jesus porro conservet! Quod si pax illa, quae multis phaleris propinatur, nos bona fide respiciat, non deerit bonis (qui ex magna clade oppido pauci) praemium, nec malis etiam supplicium. Redeo ad eleemosynas nostras, quarum rationes, praeter 500 fl. inter operas fame desidentes et squalentes dispersos, indicant primo trimestri 480 fl. 17 cr., sequentibus undecim septimanis 416 fl. 27 cr. in convictum egenorum nostrorum collatos, mendicantibus 7472 stipem datam, aerario sacro 2731 fl. legatos. Quae si quis cum sorte nostra et aliorum duritie conferat, non negligenda putarim. Nam quae nos exercuere stativa Bavarica sub Johannis Pukii imperio et Conradi Zelteri ministerio supra plurimam contumeliam et plus quam barbaram insolentiam, erodendis et exugendis reculis nostris jugiter incumbebant, cujus primaria hirudo Wolffgangus Reutter, diversoriorum designator mihi et collegis 30. imperiales extorsit. Discessit ea faex hominum 1. Junii

*) Cod. A. B. et a.: proderent et perderent.

successitque excubitor Andreas Schumannus vexillifer haud paulo humanior et abstinentior. His hospitibus obsessus toto anno pedem extra moenia nisi ad primum lapidem non extuli, equum etiam, si jocari hoc luctuoso anno licet, nullum inscendi, solitudini et silentio contra genium meum adeo assuefactus, ut ne in morosum degenerem, conticescente literario commercio, cavendum mihi putem. Reliquam agri hujus Württembergici tempestatem et cladem quis fundo explicet! quis lacrymarum flumine satis deploret? Desolata est nobilior et fertilior pars, extinctae hominum varia peste aliquot myriades. Inter reliqua conflagravit Herrenberga patria mea, oppidum venustum, fortuito an composito igne incertum 19. Julii, afflicto ibi Heinlino meo, amicorum primario. Caetera ut publicis ita privatis amicorum stragibus funestum annum habui, quorum facile princeps David Magerus jam saepe a me, sed nunquam satis laudatus, et cui, si vita prorogetur, encomium peculiare debeo, opportune tempori et hostibus, quos recti et patriae studium pepererat, ereptus 13. Junii. Abstulit etiam animi moerore Agnetem Grüningeriam Varenbülerianam beneficiis prioribus et postremis in me notabilem. Quin et socrus malorum finem fecit, Barbara Efferhenia matrona supra laudem meam et genuina matre nihilo inferior. Quae cum in patriam Winidam concessisset, ubi facultatum nonnihil habebat reliqui, a propinquis urbis primoribus deserta, prodita et militari insolentiae exposita, ubi vexationis et

direptionis modum nullum vidit, omnibus in praedam post se datis, Botowariam [145]) ad generum urbis pastorem se recepit, ubi exhausta placide vitam decenter et liberaliter actam Christo reddidit 2. Sept., aetate septuagenaria, atque simul quicquid terrenarum substantiarum nobis superfuit, proximi sanguinis malignitate interiit. Omnium luctuosissima mihi debet esse mors Besoldi spiritualis, sive a nobis in religione ad pontificios discessus, viri supra omnes mortales de me praeclare meriti, caetera ne quid dissimulem, nunquam sibi in religione constantis [146]), sed ex multiplici variarum sententiarum lectione sese volutantis. Qui, aut valde fallor, nec in his castris habebit, ubi acquiescat, ubi verborum accepisse plurimum, rei vix umbram possidere animadverterit. Ejecit autem jam fluctuantem, si divinare licet, D. Thummii importunitas et supercilium, et succolantium ei togatorum mancipiorum vecordia, ut dum nostros vitat et odit, in aliorum insidias et casses homo minime cautus inciderit. Quem Deus eripiat et postliminio nobis reddat! At potius alio tempore quam sub patriae fatum discessisset, ne cum fortuna fidem etiam mutasse aliis credatur. Minoris momenti apud me Baronis Francomontii apostasia fuit, cum quod Schwenckfeldianus polypus nullam non faciem quovis momento induat, tum quod deploratissima viri sors in animo patienti quidem et malis assueto, superato tamen et attrito desperationem verius, quam papanae religionis cultum extorserit. Huic si quid frontis quavis

etiam superstitione supererit, meminisse poterit, quanto opere, quibus consiliis, qua molestia sesqui mille florenorum impendio rebus ipsius arctioribus adfuerimus. Eat et teterrima*) conscientia sua tantum bolum devoret**). Translatus etiam sub Augusti finem est, qui totius sexennii combinatione minus fraterna fide, opera et conversatione convixit[147]) indeque tres antecessores immane quantum desiderabiliores fecit: proin, quod ob id ecclesia laboraret et mihi saepe agones dudum superati interirent, praesentia vero studia elevarentur aut everterentur, suspiriorum et gemituum plurimum expressit; caetera non improbandus, sed et hactenus suspendendus, dum animi cruditatem saepius quam ex decoro se palam exponentem coquat recoquatque et novis somniis veterum experimenta conjungat. Durum autem est cum impari, rebus praesertim difficillimis, jugum trahere, et id potius hostes, quam consanguinei conquerantur. Non tulit hic annus multum scriptionis, cum et musaeum deesset, et literarum commercium intercedisset***). Datum tamen nonnihil est querelis, supplicationibus et ad militiae praefectos, si qui familiariores erant, intercessionibus, quae cum urbi huic bono et levamento interdum cederent, fecerunt, ut minus haberer (quod jam ceperat) neglectui. Ex iis supererunt Threni

*) Cod. A. B. et a.: tenerrima.

**) Cod. A. B. et a.: devoret, Lutheranosque bonorum operum cassos accuset.

***) Cod. A. B. et a.: intercidisset.

mei Calvenses, testes et officii in meos indefessi et in adversis constantiae. Nunc Polyantheae Langianae[148]) ad elegantiorem methodum et studiosorum commodiorem usum efformationem Bockenhoferi conductu molior, nisi id omne et vitae difficillimae filum mors optata hoc jubilaei mei quinquagenarii initio abrumpat, meque et praesentium molestiis et futurorum minis feliciter eripiat. Quae altera anni medietas fuit, tota fere Libitinae officiis impensa est, adeo per agrum Württembergicum et viciniam lue populari saeviente, ut majorem hominum partem absumpsisse credatur. Sane ex reliquiis nostris Augusto mense 173, Septembri 193, Octobri 119, Novembri 44 capita, ac in universum toto anno 772 circiter confecit, acciditque perincommode, ut translato collega Greinsio, nec ob penuriam ministerii successore invento, onus omne muneris ecclesiastici mihi per quatrimestre propemodum incubuerit cum adversa interim et molesta valetudine conflictanti. Quo interstitio 430 exequiae habitae, iisque continua serie 85 sermones funebres dati. Tandem feriis Simonis et Judae socius datus Joh. Andreas Beutelspacher qui uno tantum mense superfuit, propera morte extinctus, substitutusque opinione citius est Johann. Jacob. Spindler, jam remissa contagii violentia, et ipse paucis diebus extinctus. Quae strages meorum sive propinquorum sive necessariorum edita est, ea vix catalogum facit*). Recen-

---

*) Cod. A. B. et a.: fert.

sebo tamen paucos. Sororium utrumque Plieningerum[149]) et Simonium[150]) atque illum cum filio adulto Joh. Conrado[151]), hunc cum uxore Regina[152]). Sororem natu maximam Annam[153]) ejusque liberos Mariam et Philippum Christophorum, maximae expectationis juvenem multis mihi impensis educatum et tenere amatum, Tobiam Eisengrein et Joh. Frei medicos, ac Joh. Scweiccardum jure consultum, ex amitis Susanna, Corona et Blandina cognatos fratres. Inter fautores Buwinghausium[154]), singulari elogio a me laudatum optata, et baronem Francomontium, formidabili morte extinctos. Ex primariis amicis Danielem Hitzlerum[155]) Argentinae exulantem, solidum theol., cujus suis locis a me honorifica mentio facta est. Ex rarioribus Johan. Bernhardum Unfrid reconditae eruditionis, et Wilhelm. Schiccard[156]) illam academiae Tubingensis nobilem gemmam, viros incomparabiles. Sed nec reticebo Johannem Georgium Stuberum[157]) magni pretii concivem meum aliumque Jacobum Stalium[158]) scriniarii opificii rarum artificem, quorum conversatione*) aegerrime careo. Hisce modis illud disce mori mihi perpetuum insonuit fecitque in omnes horas expeditum et vitae tot ictibus labefactatae negligentem, quam tamen divino munere ad hujus anni metam sic leniter effluentem habui, ut cum paucioribus praeteriti temporis conferendam putem, civibus amore et officiis certantibus, aemulis vero

*) Cod. A. B. et a.: conversatione et opera.

et obtrectatoribus ad mortis horrorem conticescentibus. Scriptioni post editos Threnos nihil praeter Justa Buwinghusiana superfuit. Subsidiis autem in pauperum levamen et alimentum parandis plurimum operae et molestiae datum, cujus collecta ad 4532 florenos excrevit, neutiquam tamen necessitati nostrae pares. Quid de studiis, de agri dominici operariis, de scholis et universa ecclesiae herba atque segete post tantam calamitatem futurum sit, Deus prospexerit, nobis sane divinare non licet. Provisum tamen, ni idem prohibeat, de notabili aliquo stipendio [159]) nobis est, cujus ope res literaria atque sacra restitui utcunque nostris in partibus queat.

Sub anni finem collega, vicarii nomine, optato contigit Christophorus Zellerus cognatus, pridem Liebensteinii per sexennium, nuper etiam Schlaitdorfensis pastor, vir subacti ingenii et morum amabilitate insignis, tum in rem christianam impensi studii, de cujus ope in excolendo dominico agro, et evellendis loliis, si recte ex anteacta vita auguror, praeclare*) quaeque mihi spondeo, ac ut feliciter ecclesiae opera nostra communis et mutuus consensus cedat, calido voto annum finio. Sedata sequenti anno utcunque tam saeva patriae tempestate, ut primum ad littus adnatare divino mihi beneficio licuit, proximum a gratiis actis fuit, quam hoc tristi naufragio jacturam fecerim animo recolligere, ac fortunarum quidem florenorum circiter

*) Cod. A. et B.: praeclara.

septies millium, hominum vero plane et inaestimabilem et irreparabilem; e quorum magno et luctuoso numero paucos aliquos non praeterire visum, sc. et olea*) Andreana proventus ubertate nuper gravi, surculos Eberhardum et Philippum Jacobi, Jacobum Davidis filios Andreae, Joh. Georgium et Erhardum Erhardi filios Cellios, ex Freiis Sebusianis unum alterumque et longe desideratissimum meum Johannem Josuam Andreae, ex fratre Johanne nepotem toto decennio domi meae alitum et ad spem maximam evectum atque ob ingenii amabilitatem et morum obsequium, si quid humanitus contingat, haeredem mihi destinatum. Ex Osiandrina florentissima arbore, Josephum, Andream**), cancellarii filios, proxima agnatione conjunctos. Pueritiae meae tres ordine formatores, Banzhafium, Roeschium et Fabri candide meritos. Affinium vero et interioris notae amicorum selectissimos, Blasium Braun, Joh. Bernh. Varenbüler, Davidem Bab, Joh. Ulricum Thummium, Joh. Sebastian. Wielandum, Samuelem Martini, Felicem Gasparum et inexhausti illum ingenii et eruditionis Joh. Spindlerum. Reliquos, qui vel commilitones, vel collegae, vel cognitione et familiaritate notabiles fuerint, recensere, fastidio lectori foret, cum quadringenti sacri tantum ordinis viri una hac charybdi censeantur absorpti. Quiescant singuli et dum hic haerebo, honesta memoria eorum, qui mei

*) Cod. a.: ex olea.
**) Cod. A. B. et a.: Andream et Danielem fratres Andreae.

fuerint, animo meo supersit. Ego vero velut in littus ejectus madidus et nauseans, dum molestae navigationis et praesentissimi periculi ruminatione distrahor, nihil invenio, quod vitae continuationem beatae mortis termino anteponat, nisi divinum, cui obnoxii sumus omnes, imperium atque arbitrium. Nam viribus animi juxta et corporis fractus, exutus fortunis et amicitiis, laboribus fatigatus, denuo in scenam et aream quasi revocari, nihil mihi aliud seculi genium intuenti, quam bestiis objici videtur. Tuli hactenus confratres mei collegii numero 80*), paedagogos 15, praefectos 31, cum quibus non dicam luctari, sed pro temporum et casuum vicibus ingenium conferre, labores combinare, noctes diesque conterere, adversa etiam dividere, voluptatisne perpetuae sit an taedii, malim expertum talium pronunciare, quam sibi tantum vacantes conjicere. Mihi equidem, suffectis subinde recentibus antagonistis, non tandem exhauriri et deficere majoris roboris videtur, quam cui ego sufficiam. Fuit tamen anni hujus post milles. sexcent. et trig. sexti medietas, pro publica calamitate et vix audita fame[159]), si morum dissolutissimorum difficilem correctionem et vulturum domesticorum laniatum excipias, tolerabilior. Strenam primus liberalem an stipem contulit Schmidius, Argentinae theologorum exemplum. Secuta est illustriss. heroina Agatha Rupis-Spoletanae domina antiqui operis geographico globo argenteo; non de-

*) Cod. A. et B.: 75.

fuit etiam ex Noricis optimus Bajerus biennali stipendio. Cives mei et lautis strenis mutuo certantes et communitas 271 fl. donario indigentiam meam sublevarunt. Nihilo tamen minus quadringentis plus minus florenis meis tanta annonae caritas mihi stetit, insuperque salarii debiti maxima pars, 600 quippe florenorum, maligni spiritus H. iniquitate interversa periit, ut et aemulorum meorum collusione. 10. Febr. haereditate mihi cessit Eva Maria ex sorore Regina neptis, trima festivissima puella, additumque auctuarium alia ex fratre Jacobo neptis Johanna, sc. subito eversa fortuna sororii Simonii satis lauta, sed incredibilis sorditiei, ut quae teruncio meam calamitatem non solaretur, suam praeproperam incauta neutiquam provideret. Postea cum aedes meae priores, tumultuario opere constructae debito angustiores essent, alteras addidi meis impensis, quae junctae et familiam caperent, et studiis convenirent, coeptas 28. Martii, utcunque absolvi 18. Junii et nuptiis filiae primogenitae Mariae cum Petro Waltero cive meo et mercatore 20. Junii initiavi, quibus omnibus Deus benedicat! In ecclesiastico munere Joh. Conradum Zellerum Wildpergensibus superintendentem et Joh. Ebermajerum Zavelsteinensibus pastorem, caeteris ob infectas*) vias et temporis injuriam suspensis stiti. Et quando nihil hujus anni memoratu dignum occurrit, justus dolor meus ex anteactorum erroribus

*) Cod. A. et B.: infestas.

nostris in nervum erumpit, ut palam profitear, indignissimis injuriis irritatum Deum ad nostrum exitium descendisse. Vitiata namque theologia nostra erat cum scholasticarum opinionum et rixarum refluxu, tum mystarum vel inter politicos affrictu, vel cum palam improbis contagio, unde illic importuna illa sed nimis operosa altercatio Menzeriana[160]), et exagitatio Arndiana omnium bonorum gemitu exarsere; hinc sacrae frontis et venerandi adyti magna religione nobis observatae catarrhactae improviso apertae, et soporata conscientia, genus omne malorum admissum est; simonia inquam, sacrilegium, molochus sacri seminarii, vertumnus concionatorius, plagium priscae eruditionis, exorcismus reliquiarum boni spiritus, aurifodinae spermologicae, paucissimis malorum fomenta bonorumque suffocamina. De politicis delictis meum non est dicere, quando consiliorum imprudentia, et auxiliorum importunitate domus quasque illustrissimas Germaniae eversas constat. Hoc novis conqueri liceat, religionem nostram hostes magis noxios plerisque reipub. praefectis non habuisse, quorum quippe tam exemplo quam imperio nihil flagitiorum suscitatum, nihil religiosum extinctum, nihil Christo adversum velut lege lata violenter invectum non sit. Et mirantur*) subito qua religiosi cultus, qua civilis administrationis fulcra concidisse, quae dudum erosa, aut ad extimam usque corticem secata, quicquid etiam stabilitatis

*) Cod. A. et B.: mirarur.

prae se tulerint, hunc tamen concussum minime omnium sustinuerunt! Atque sic mihi finitus agitatissimae vitae quinquagesimus annus, jubilaeus an funestus mihi dicendus incertum recordanti, me cum unica sorore Margarita vidua afflictissima ex omni paterna stirpe superesse, omnium ex ea ramorum et corporis imbecillitate et fortunae vicibus et invidiae vexatione desperatissimum; videre familiae solitudinem ex quadraginta tribus secundae generationis capitibus ad octodecim redactam; interesse patriae Würtenbergiae funeri et ejus vespillones, quondam amicissimos, nunc omni tygride efferatiores ferre; religionis insuper calcationem, politiae chaos, literarum interitum, juventutis pollutionem subdura servitute comitari, atque parum abest adjuvare: quid mihi vita nisi supplicium sit ejusque prorogatio lento igne torreri! Si tamen ita visum est supremo numini, per tot vitae ambages et mortis species (quas nemo nisi qui tulit, numerat aut capit) in spem meliorem superesse, et quantum in imbecillitate nostra virtus superna valeat, experiri: age! fiat voluntas Domini et vel inter lacrymas et gemitus Deo nostro jubilemus. Posteriores hujus anni menses leniter et sub minutis cum Satana velitationibus effluxerunt. Amici in officio perstitere, quod et Wensius Luneburgo et Brunswiga calide est testatus. Paedagogus quidam ex flagitio loco motus et mea opera servatus, se dignam gratiam retulit homo improbus et levissimus; nempe malo homini benefacere meleficium est. Josepho Demm-

lero juveni lectissimo et mihi valde probato, ex Galliis et Anglia reduci Italicae etiam et Hispanicae linguarum qualemcunque cognitionem per succisiva contuli.

Nunquam vero tacendus mihi est Joh. Conradus Schüzius, Vaihingae in re pertenui patre vitriario natus, qui cum in triviali, quae ibi est, schola literarum tyrocinia satis feliciter fecisset, ne ulla fortunae injuria a pertinaci earum studio et amore arceri posset, mea et Jodoci Machtolphi miseratione susceptus, fotus et Hirsaugiensibus alumnis solicita commendatione insertus est. Ubi in tribus linguis, poesi insuper et musica praeter alias artes liberales praeclaros profectus fecit, nobilioribus ingeniis sedulitate et obsequio par, vitae innocentia probatior, quae ipsum ad diversas ecclesiastici muneris stationes comitata, familiarem mihi et filii loco habitum fecit, et per 20 circiter annos constanter servavit. Quo etiam amanuense et conscio in omnibus rebus meis privatis sum usus, destinato contra multiplices calumnias innocentiae meae fido et oculato teste, quem turbato naturae ordine, vix tricenario majorem, asthmate 9. Nov. Wildbergae mihi praereptum serio lugeo et desidero: opportune tamen sibi in veram libertatem post multiplices aerumnas, domesticas etiam vexationes vindicatum non diffiteor.

Labente anno morbus, qui vitae etiam minari videbatur, me primum, dein et conjugem corripuit, atque huic durior et diuturnior fuit; revaluimus ta-

men Christo propitio ad ipsius natales ferias, cui obnoxias grates solvimus. Calamum hoc toto difficili tempore recondidi nisi quod Davidis Magειri genium domesticum officioso affectu delineavi. Ausus quidem ex voluntate Augusti Luneburgici et Ernesti[161]) Saxoniae principum, annitente Sauberto, quid de Math. Maifardi[162]), Sigismundi Evenii et Jo. Duraei magni momenti consiliis sentirem, communicare, sed cujus telam liberiore loco et tempore pertexendam abripui. De salario, post varias cucullionum ludificationes et plenum perjurii ac levitatis monachalis testimonium, solvendo liberalis spes mihi ab urbis senatu facta est, cui explendae secuturus annus deputatus est, incertum, ex renovato armorum concursu qualis futurus. Hunc quidem divino beneficio praeterlapsum ex facilioribus meis numeraverim.

Anni post trigesimum septimi auspicium A. Hoelzelius tulit, qui ex tanto intervallo ad amicitiam rediit, animi an extremae indigentiae motu incertum, quem libenter veteris necessitudinis memor recepi, et quantum in me fuit opis sublevavi. Comparuere etiam alii post alios amici J. Ad. Tassius Hamburgo, M. Berneggerus Argentina et prae aliis calido affectu nob. Wensius, qui in meum subsidium, quicquid imperarem, liberaliter obtulit et ad se omni contentione invitavit. Interea cives mei quod in se receperant, biennii et quod excurrit stipendium bona fide exsolverunt, omni laude digni, quicquid etiam ex senatus livore fuit aspersum. Cum vero dere-

licti impuberes, qui in orphanotrophio octogenario circiter numero sic satis et gravibus impensis alebantur, corporis et animi neglectu, paedore et situ corrumperentur, importunis precibus obtinui, ut inter cives locupletiores vel servitiis destinandi, vel opificiis applicandi, vel si teneriores essent, gratuito educandi, omnino vero pietatis et scholarum cultui subjiciendi distribuerentur. Quae res feliciter cessit, paucis, quos jam putredo obsederat, in squalore relictis. 13. Jan. Tubingam, a qua tot annis abfui, properato itinere revisi, miseratus et tantam virorum celebrium cladem, et tristem academiae quondam frequentissimae solitudinem, meam etiam ab amicis orbitatem lugens. Caeterum etsi totus in eo eram, ut sacrarum literarum nimis accisum seminarium ex parte sustinerem, atque eo civium meorum notabilem stipem ducentorum amplius florenorum annuorum parassem, ejusque pars jam Jo. Balthasaro Plieningero et Jacobo Brotbeccio cesserit, morositate et supercilio eorum, quibus remedia malorum turbare, non medicare morbos concessum est, opportunum consilium successu caruit. Martius mensis Davidem Steudlinum magno meo luctu abstulit, veterem contubernalem, de quo mihi aliquando plura dicenda sunt, ne hoc semestre nihil lectu dignum habeat. Natus is patre Jacobo, avo Johanne Steudlinis, hoc Reutlingensium, illo Nerolingensium antistite, utrisque viris eruditis et de ecclesia bene meritis. Pater ob calendarii Gregoriani motus loco pulsus Heidenheimii susceptus est, ubi Davidem ge-

nuit[163]) (1588), ac vix bimulo relicto vivis excessit, festivo puerulo, ut qui dum patris exequiae parantur, funus arundine longa obequitarit, et pullatis praesentibus, maxime vero patri meo intempestiva alacritate lachrymarum vim expresserit. Cujus etiam recordatus, postquam vidua mater dispares nuptias primum cum serrario[164]) vili capite, postea scriniario melioris famae praecipitasset, atque in ipso sponsali thoro, quo fato incognitum, subito oppressa esset; omni substantia eversa, puerum ad se recepit et pari nobiscum victu, amictu et ingenii cultu per sexennium sustinuit, non vulgaria de se pollicentem et oris venustate utrumque parentem, hanc tamen etiam supra fortunam insolentia et majoribus, quam vires essent, ausibus referentem. Vita functo patre meo, mater secum cum familia Tubingam conduxit et eodem quo ante loco nobiscum habuit. Inde perpetuis commendationibus primum famulitio[165]) illust. stipendii subjecit, postea etiam ipsis alumnis inseruit, ad studiorum ascensus et honores adjuvit, ecclesiae muniis conciliavit, nuptiis etiam optatis ex Sauteriana familia, quacum arcta nobis necessitudo erat, coronavit. Satis in praesens restitutae fortunae videbatur, cum forte oblatam Hernalsi in inferiore Austria functionem ecclesiasticam amplexus, relicto Deckenpfrundo[166]), eo contendit, rerumque suarum, qua docendi dexteritate, qua morum amabilitate, satagens, res suas haud mediocriter auxit et familiae fortunam facile est supergressus. Amisit tamen ibi primam conjugem, alte-

ramque duxit Bernhardi Alberti celebris quondam Augustanorum theologi filiam, variae posthac fortunae sociam, cum qua, eversa ibi religione et non leviter turbatis rebus suis, ad nos rediit, nec difficulter locum honoratum in Backnangensi ecclesia obtinuit[167]). Sed quod Palatinatus caesarei phaleris et equestribus insignibus urgeretur, infra se omnia nostra ratus, Campidoni antistitium per amicos assecutus, quod vitae superfuit, inter urbis iteratas occupationes et direptiones, pro partium studiis durius ac mitius habitus, semper tamen male mulctatus et exutus bonis, extincta moerore animi et terroribus continuis optima conjuge, ipse nupera[168]) urbis calamitate numeroso milite obrutus, subito nec citra veneni suspicionem extinctus est[169]), vir longiore vita dignus mihique amicissimus, ac revera inter magnos numerandus, si minor esse potuisset. Pater multae prolis factus est, sed minus vitalis, nec scio an ex hoc frutice aliquid supersit. Cum fortuna variante omni vita luctatus, saepe benignam, sed subinde malignantem expertus est, quasi indomitum alioquin ingenium hoc freno coercendum esset. Sed et exactioris eruditionis nervi deerant, quae majora spirantem et in dignitatis atque existimationis gradu positum destituebant, quos ingenii solertia et oris promtitudine utcunque supplevit. 2. Julii*) filium Gottlieb primum domo emisi, et in sinum probatissimorum

---

*) Cod. A. et B.: 12. Junii.

Sauberti et Baieri meorum tradidi, qui porro Johanni Gravio, Aegidianae scholae quae Noribergae est, rectori crediderunt, cujus eventum et successum Deus ad pietatis potissimum cultum, deinde morum disciplinam, postremum ingenii et literarum cotem dirigat. Sequentis Julii 4. die Argentoratum me contuli, principem meum exulem salutatum et de reditus ad suos spe certiore percontatum, cujus consilii causa aliquantulum mihi diducenda est. Jam ab anno 1628 Saubertus, Jacob. Wolfgang. Poemerus, Baierus et fautorum alii hoc moliebantur, ut suae ecclesiae cooperarium me conciliarent. Tentatumque hoc post Piggelii Divo-Laurentiani pastoris obitum haud frustra opinor fuisset, nisi me laborum moles humeris meis gravior et ministerii ibi nimia servitus terruisset, patriae etiam felicitas et libertas, quae tum erant, tenuissent. Nunc illis mitigatis, his immani ruina collapsis, cum etiam Jo. Fabricius Sebaldinae ecclesiae antistes gravi senio extingueretur, resumpta consilia majore animi contentione ultro citroque agitata sunt, nullum non lapidem Sauberto movente, ut operam meam sponte deferrem et propensos undique fautores experirer. Quod cum nisi desperata patriae salute ac statione mea ejectus, tum etiam neutiquam inscio et invito principe meo, etsi nullo peculiari vinculo obstrictus, mihi faciendum putarem, bono ni fallor auspicio consensum meum suspendi, hunc vero 13. Julii submisse conveni, a quo clementer admodum susceptus*).

*) Cod. A. et B.: exceptus.

Cum serio affectu et humanissimis verbis dolorem, quem a discessu meo praesentiret, esset testatus, ut me patriae resurgenti et emendandis tristioribus fatis reservarem, tandem persuasit, cujus aleam in manum Dei consignavi, illustriss. domui Würtembergiae, tam praeclare de omni mea familia meritae, patriae post afflictionem respiraturae, et ecclesiae Calvensi sub melioris disciplinae spe vitam porro mortemque impensurus. Dum ibi haereo, illust. principes Fridericum Marchionem Badensem, Annam Catharinam mei principis conjugem et Annam Sabinam Holsatam princ. Julii Frid. Würt. viduam humili officio invisi. Dynastam Rupis-Spoleti Eberhardum, Agatham Solmensem ejus conjugem, Georgium Fleckensteinium baronem solito propitios et liberales sum expertus. Amicos post tantam calamitatem et diram tempestatem revisere ingentis voluptatis fuit: Johannem Schmidium, palmare theologorum decus, Berneggerum senio et morbis propemodum confectum, Glonerum fortunis et honoribus auctum, Mockelium magnis negotiis conspicuum, Bockenhoferum antiquum candorem tenentem et, quem nunquam sine amoris et gratitudinis sensu nominavero, Dilgerum meum in patriam abitum ad revisendum patrem senem Danielem parantem. Accesserunt amici novi magno numero, e quibus Jo. Henricus Boecklerus[170]) orator disertissimus, et Johan. Freinsheimius[171]) gener Berneggeri florentissimus serio affectu eminere visi. Memorandum vero mihi spectaculum fuit, cum a reverendo totius

urbis ministerio convivio in Frid. Heupelii ad D. Wilhelm. pastoris aedibus exciperer, ubi praeter Jo. Georg. Dorschaeum[172]) magni nominis theologum et Jo. Petrum Pistorium Divi Nicolai pastorem dudum familiariter cognitos, Jo. Conrad. Danhauerum[173]) et Jacobum Schallerum celebres professores, Schallerum[174]) venerandum senem, Samuelem Schallesium et reliquos sacri collegii symmistas cum dignissimo praeside Schmidio unanimi corona intueri et ab iis in mutuae amicitiae societatem intromitti licuit. Itu redituque felix domum 16. repetii et Noricae expectationi nuncium remisi, sic tamen, ut pro sedulo Sauberti et amicorum officio et studio aeternas gratias debeam. Fabricio Saubertus successit, huic Cornelius Marci, nec scio, qui alii sint secuti, quibus Deus aspiret. Augustus mensis, qui plerumque mihi fatalis, funestus admodum fuit, cujus*) natali meo soror Margaretha diem obiit, et me ultimum liberorum paternae domus reliquit. Ex cujus angusta re filiarum minima Sibylla 12 annorum haereditate mihi cessit, ut jam totius propemodum familiae egestas unis meis jam ante fatigatis humeris incumbant**). Paulo ante nempe 8. Aug. vix mille ab urbe passibus in manipulum latronum incideram, qui me male mulctatum, tandemque bombardae in pectus violento impactu saucium, nec nisi praepotenti dextera Dei servatum dimisit. Hinc secuti punctionum exquisitissimi cru-

*) Cod. A. B. et a.: cujus 17.
**) Codd.: incumbat.

ciatus, et anhelitus difficultas me per aliquot dies prostrarunt, deprehensaque est costa pectori imminens confracta, eventu, quem Deus propitius viderit. Durior etiam sors civibus meis sequenti 15. Aug. Qui cum se turmae armenta et pecudes abigenti utcunque armati opposuissent, impares viribus, tres statim conciderunt, secutus ex vulnere quartus honestae rei mercator, demum etiam quintus ingentes cruciatus per sesquimensem perpessus, capti nonnulli et magno lytro redempti, sauciati graviter circiter viginti, ex quibus tres incerta spe vitae etiamnum luctantur. Stetit hoc damnum civitati 3. mille amplius florenis et exprobrata insuper defensionis injuria est. Annus hic procerum patriae clade tristissimus nobis fuit. Nam Argentinae ex antistitum numero brevi intervallo Henricus Wielandus, Jo. Jacobus Albichius, et Elias Zeiterus Bebenhusii, Adelbergae et Alpirspachii quondam abbates, tum Sebastianus Hormoldus[175]) director, et Jo. Fabri ordinum consiliarius, annis graves et meritis venerandi occubuere; Stuttgardiae vero Jacobus Grab aedis cathedralis ecclesiastes, candidi et tranquilli animi, et Erhardus Weinmann aulae ante principis exilium concionator, rarae et multiplicis eruditionis theologi, consistorii collegae, tristem vitam absolverunt, omnes mihi familiariter cogniti. Albichius affinis, Grabius commilito atque jucundissimus fuit. Weinmannus, quem ob eximias animi dotes plurimi habebam, postquam per plures annos amicissimum et studiorum socium possedissem, simulta-

tem, quam cum Grüningero quondam exercuerat, post ejus mortem in me innoxium derivavit animumque alienum atque adeo infestum palam ostendit, vir cum paucis comparandus, nisi internata morositate et simoniae suspicione pro aestimatione odium sibi hominum contraxisset. Hunc secutus est Henricus Hiller, qui ex re mediocri ad maximas fortunas sub principe Johanne Friderico, in cujus flagrante gratia vigebat, evectus, post ejus mortem[176]) vero sub administratoribus neglectus, denuo sibi exule principe Eberhardo ex patriae ruinis fortunam fabricavit et ampliss. quaesturae munus obtinuit. Is mihi affinis et quondam amicissimus, post ex Calvensi causa, de qua ad annum 24 dixi, infensissimus factus ac nocere paratus, a Buwinghausio cohibitus, mox etiam eversa potentia sua repressus est. Ostendit tamen aegrum animum, cum Grüningerianas magnas opes a nobis legitimis haeredibus suis machinamentis in filium suum derivasset, vir industria multis superior, nisi eam inexhausta opum siti contaminasset. Labente anno, quod Argentinae in me receperam, principis Eberhardi cum caesare reconciliationem, 1200 imperialibus mutua ope quorundam meorum datis, promotum ivi, lentiore tamen quam pro spe effectu, remoris subinde aliis atque aliis in aula objectis. 21. Novemb. nata est mihi ex filia Maria neptis prima, cui Mariae Elisabeth nomen, surculus ex paterna arbore 3tiae generationis primus, sed qui 10 post die emarcuit. Sub id temporis amplificatio sacelli nostri, quod decen-

nio ante sacro cultui restitueram, absoluta est, quae tamen res in meam contumeliam vertit, cum senatus hac occasione oblata, paucorum insolentia impulsus, omnem ecclesiasticam oeconomiam ad se raperet, unde inter nos acerba altercatio exorta, cujus dijudicatio in reditum principis est suspensa. Intervenit etiam Jo. Wolffg. Vogel in exercitu Bavarico velitum dux, qui in hyberna ad nos concessit, ex sordidis natalibus per omnes militiae gradus ad summa emersus; unde vectigalia et exactiones in immensum auctae, luxuriam nostram quae monitis nullis hactenus cessit, coercere incipiunt, eo eventu, quem sequens annus indicabit. Amici per intervalla inviserunt Joh. Hohenfelderus Ludovici filius, Heinlinus, Machtolphus et Daniel Zwickerus Dantiscanus. Temporis taedium mathematicarum disciplinarum ruminatione mitigavi atque sic annum contrivi, ut commodis atque incommodis utrinque compensatis, cur Deo optimo gratias debeam, plurimum supersit. Succedens trigesimus octavus annus, qui liberationis nostrae futurus passim audiebat, novae servitutis ac propemodum internecionis factus est, cujus initia moderatiora fuere, hybernis nobis non infestis et Wolffio omni humanitatis genere nobiscum certante. Cum etiam ex superiore ducis Vinariensis [177]) clade centurionem quendam nobilem Gallum, qui Jo. Augustus Danotus vocari voluit, captivum, primum liberaliter, post exorta simultate, servilius haberet, hominem elegantis ingenii, multiplicis usus et exoticarum linguarum pe-

ritum, isque in meam familiaritatem venisset, jucunda admodum ejus conversatio aliquantisper fuit. At postquam dux Bernhardus ex improviso Rheno superato citeriorem ejus partem occupasset, tumultuarie ipsi occursum, sed infeliciore Marte 25. et 12. Cal. Febr. ad Rheinfeldam pugnatum, ubi profligato exercitu, capitibusque captis, ex quibus Wolffius noster post octimestre demum libertatem recepit, omnis belli moles nobis subito incubuit. Cumque Vinariensis in nos nihil hostile moliretur, tantum commeatum caperet et caesarianas partes persequeretur; exinde reos nos quasi defectionis fecit, et plurimam nobis deinceps cladem intulit. Etsi enim jam principis Eberhardi restitutio ad 3. Non. Martii, qui Friderici, destinata erat, adeoque non tam frater Fridericus [178]) ejus laetum nuncium ex aula caesaris ferret, quam ipse Eberhardus adventasset, uterque tamen Stuttgardia contumeliose exclusi, hic etiam in suis agris prope Blochingam a praedonum globo equis et impedimentis magni pretii exutus, vix pernici equo se eripuit. Inde rebus ad Rhenum afflictis restituendis submissus cum ingenti exercitu Johannes comes Gezius summus imperator, nihil prius habuit, quam a nobis ut poenas atque durissimas exigeret, vastato hostili more agro, urbibus direptis, caede et omnis generis immanitate saeviens, ut prima occupatio prae hac revisione amica plurimis visa sit. Quicquid enim ex quadriennii hujus calamitate superfuit, omne haec vorago absorpsit. Atqui jam Casparus

Dambergius Philippoburgi praesidio praefectus et merces mercatorum nostrorum magni pretii interceperat, et manum praedonum 10. Cal. Maji nobis immiserat, a quibus Calva iterum direpta incredibile damnum accepit, quae dura sors me etiam corpore tamen per fugam salvo corripuit. Nihilo tamen minus Gezius, qui et ipse contra Vinariensem rem haud felicius fecerat, profugo suo exercitu nobis incubuit, excidium etiam, ut fama ferebat, interminatus, quod tamen propitius Deus prohibuit. Ita annum inter perpetuos angores et terrores, ac gravissimas exactiones, quae genero meo nonnunquam 100 hebdomatim florenis stetere, traximus, sub Joh. Lebensteinio serviliter, postea Gottfridio Schweikhelio commissariis liberalius habiti, vitae tamen subsidiis civium benevolentia nunquam subductis. Interea fato concessere ex amicis interioribus aliqui, atque nobiliores Joh. Gerhardus palmare decus 16. Cal. Septemb. anni superioris irreparabili ecclesiae jactura extinctus, Lucas Osiander [179]), summi ingenii et multiplicis eruditionis, moribus tamen dispar theologus 10. Aug., Erhardus Machtolphus tanti a me aestimatus, olim agoniarum socius 27. Sept., Zacharias Schaefferus poeta et orator admodum disertus 5. Martii, et Georgius Geer alumnorum principis in Hirsaugiensi schola per multos annos rector, libertate et liberalitate celebris 3. Sept. Ex civibus Johann. Jacob. Doertenbach et Christophorus Demmlerus, supra vulgum majoris animi et judicii, ac mihi, dum res nostrae

starent, praecipui ad res emendandas usus, ille Noribergae, hic Canstadii, dum aliud agerent, 3. Cal. Apr. et 8. Cal. Sept. praerepti, uterque luculento elogio a me laudati. Sed et Besoldus apostasiae brevem periodum absolvit Ingolstadii, majore lubricitatis in religione, an perfidiae in patriam domumque Würtembergicam virulenti odii infamia incertum, ut qui venenato calamo plus cladis et damnosae morae, quam armatorum totae acies gladiique milleni nobis intulit, detestabilis ob id ad omnem posteritatem habendus. Pastorum in pagis tristissima sors fuit, ut qui ab omni re familiari exuti et alimentis denegatis aut palantes mendicabant, aut in urbibus esuriebant, plebe paulatim ad omnem inhumanitatem obrigescente, quorum aliquos utcunque hic fovimus, et ad spem meliorum sustinuimus. Octobri demum mense princeps Eberh. terris suis desideratissimus restitutus est, durissimis licet conditionibus devinctus, qui convocatis patriae ordinibus, dum rebus congerendis vectigal insolitum imponit citra suam culpam et necessitatis telo actus spem multorum frustravit, plausumque populi amaricavit et imminuit. Reddidit tamen suis labefactata municipalia et ecclesiae jura, in qua grassatoribus et cunicularíis officialibus quibusdam frenum injecit. Cujus occasione et ego ereptum mihi aut dejectum regiminis ecclesiastici munus vindicavi, et solenni transactione ad 26. Nov. cum senatu mutui consensus et concordis administrationis capita sancivi, quae Christus rata habeat

et successor meus nullus negligat. Deficiente tandem anno, dum princeps rebus ecclesiae restaurandis serio incumbit, mei etiam meminisse et rebus ad pristinam faciem revocandis praeponere in animum induxit. Ergo cum Johanne Joachimo Schüelino[180]) Canstadiensi antistite ad se vocavit, omnem animi propensionem exhibiturus. Sed intercessit calumnia Tubinga prorepens auribusque principis aliquid venenati susurri[181]) insinuans. Pervicit tamen principis magnanima fiducia, ut ad 16. Decemb. cum fratre Ulrico, omni aula, curia, patriae ordinibus, et numerosa plebe me locum Pauli Roman. IX. v. 13 de gemellorum, Jacobi dilectione et Esavi odio explicantem in aulae sacrario audiret et admodum approbaret. Vesperi Schüelinus auditus et laudatus est, fuitque haec dies solennis et festa, qua post triste principis exilium reclusum primum sacrarium est et puriori cultui restitutum. Altera die principis sententia primum privatim aulae ecclesiastae, academicae professionis theologicae et summi templi Stuttgardiae pastoratus muneris optio datur, quae singula cum humeris meis graviora agnoscerem, humiliter sum deprecatus. Institit tamen princeps, et cum postremam functionem in Schüelinum et ipsum admodum reluctantem contulisset, ut ex prioribus duabus unam eligerem per sanctiorem senatum vehementer contendit. Exaudivit tamen querelas meas de ingenii corporisque defectu, et quod in votis unicum erat, mihi atque meis, cum clementiae singularis luculenta significa-

tione reliquit, animumque suum in Chr. Zellerum collegam meum, quem suggesseram, convertit. Jamque adeo domum ovans properabam, cum amici conscientiam vellicant, quam sauciarem, si dum mihi consulerem, ecclesiae causam desererem, et aemulis meis risum facerem, imo et triumphum de me*) animi mollitie cederem. Consisterem potius in arena, vel tantisper, dum larvam livori detraxissem, et principem ab omni scrupulo plene liberassem. Fecit profecto conscientiae angor, ut virium mearum, ingenii juxta et corpusculi in aulae ministerio ad semestre periculum facerem, si quidem sedes mea interea vacaret eique curandae collega Zellerus cum bonae notae socio aliquo adhiberetur, ut qui unus jam per triennium fidem atque concordiam supra omnes priores mihi probasset, ac qui caveret, ne quid detrimenti ecclesia mea tot sudoribus meis composita caperet, a me idoneus judicaretur, post si de mea debilitate constitisset, mihi cederet, et in aulae officio succederet. Admisit conditionem indulgentissimus princeps, testatusque nolle se mihi magis esse gravem, quam beneficum, librare hanc provinciam cum viribus in sequentem annum permisit, eo eventu, quem dominus providebit diesque docebit. Res privatae, qua corporis valetudinem, qua fortunae munera satis commode habuerunt. Minor filia Agnes Elisabetha viro honesto Joh. Rielino feliciter nupsit

*) Codd.: mea animi.

7. Oct. Major alteram sobolem tulit 28. Novemb., cui ad lustricum fontem nomen Mariae Barbarae ipse dedi, quibus Christus adspiret. Nec reticenda est civium quorundam meorum liberalitas, quod hoc communis calamitatis quadriennio mille plus minus florenorum supra justum salarium contulerint, quibus quingenti circiter foris accesserunt et rem familiarem accisam haud mediocriter refecerunt, cujus gratiam nulla aetas apud me delebit, et omnis mea familia habebit obnoxiam. Calamus meus hoc toto anno ad Babylonis salices suspensus haesit, nec literario quidem commercio nisi cum Ludovico Hohenfeldero sene languente, Sauberto, Schmidio, Meuderlino, Luca Schiccarto, Glonero paucisque aliis exercitus, cum aliud nisi mutire et singultire non liceat, ubi armorum strepitus omnem humanitatis sensum juxta atque usum obtundunt. Nunc etiam Calvensis novendecennii, quo major aetatis meae pars, atque inter fortunae vices, stata valetudine, reique familiaris incrementis, potissimum vero christiani studii profectu, inter 80 eccl. ordinis collegas maxime commoda exacta est, terminus. Gratia vero, laus et gloria Deo triuni, sospitatori, servatori et vindici esto.

LIBER QUINTUS.

STUTGARDIANA.

Stutgardiam ergo atque in aulam, a quibus omni vita abhorrui, infeliciter traductus, compositis utcunque societatis nostrae Christianae rebus, Felicis quidem die, qui 14. Januarii, postquam 6. Calvae meae valedixissem, tristis comparui, rebusque patriae et ecclesiae plus quam dici potest disjectis et deploratis humeros submisi, ubi nihil prius fuit, quam ut nebulas [182]) integerrimo theologo D. Nicolai a ferini quodam sensus homine offusas, et hinc incogitantius sparsas dissiparem. Liticula cum hoc amica instituta, quae in certiorem, ac aeternam opinor amicitiam et innocentiae meae evidens lumen desiit, Tobia Wagnero Esslingensi antistite, magnae scientiae et rectae conscientiae viro pro conciliatione ultra citraque satagente, cum quo exinde arctior necessitudo animorumque consensus coaluit. Testem confessionis meae tabulam inserendam duxi, quae sic habet.

Testor S. S. Triadem ejusque immaculatam sponsam ecclesiam Evangelico - Lutheranam Christiana

et Germana fide, me Augustanae invariatae confessionis, Formula Concordiae declaratae assert|at|orem et jam per 25 annos praeconem publicum semper fuisse, esse, et juvante sac. spir. porro futurum, e contra repudiare omnia ei adversa dogmata et speciatim abominari Papatus tyrannidem, Calvinianorum supercilium, Anabaptistarum hypocrisin, Schwenckfeldii sycophantias, Weigelii furorem et Neo-Photinianorum praestigias. Risisse semper Rosae-Crucianam fabulam, et curiositatis fraterculos [183]) fuisse insectatum. Non deformandae religioni, quam rectissimam et unicam ad salutem sciam, sed conformandae vitae Christianae, non bonis literis earundemque ordinibus et ornamentis, sed revalescenti barbariei adversum tot annorum calami et calumniae impendium dedisse, et ad hanc normam omnia mea dicta scriptaque intelligi, corrigi, vel rejici etiam velle, qua in fide, studio et conatu ut ad extremum usque spiritus superne animer, fovear et conserver, Jesum Christum toto pectore precari.

Hoc negotiolo, ut fidem de me facerem, defunctus, et in patriae curam accinctus, jam in limine deprehendi, qui rebus restituendis admoti essent, nihil minus quam restitutas velle adeoque corruptionis maximam partem esse, utpote quibus ex hac tempestate sereretur metereturque, et si quid ab exilio [184]) damni accidisset, ex reliquiis nostris sarciendum videretur. Sed et quibus religionis summa concredita erat, ita supinae religionis et laxae vitae reperi, ut a serio Dei cultu morumque cen-

sura tanquam haeresi et flagellis abhorrerent. Quo factum est, ut aegre obtineretur blasphemiarum, promiscuae libidinis, profanationis dierum feriatarum, variaeque dissolutionis ex belli contagio contractae interdictum, sic tamen, ne nos et malorum sedem[185]) obligaret, ubi luxui[186]), commessationibus, rapinae, et nefandis cunctis sceleribus lex data non est, ut exemplum a primatibus firmatum. Unum peccatum irremissibile est, modum ingluviei et profusionis optare, popelli dissipationem et transfugium, ecclesiae tabem, omnium exitium misereri, Dei, prudentum et posteritatis sensum et judicium revereri. Una contra ad gratiam via, deglubere pecus, servire voluptatibus, sopire conscientiam, oblivionem malorum inducere, quae omnia, ne prolixior sim, in haec rythmica lemmata inclusi:

Imperium crudum, Regnum nudum,
Consilium mutum, Satellitium brutum,
Curiae viscus, Aulae discus,
Cleri tabes, Fori labes,
Ordo confusus, Sudor profusus,
Fundi luxus, Aridi fluxus,
Religio pulla, Conscientia nulla,
Tristes lusus, Noxii usus,
Columbae censura, Corvi usura,
Boni supplicium, Mali precium,
Sunt nostrum exitium.

Meam sortem vero sic expressi:

Assiduus clamor, Irritus labor,
Religionis luctus, Aulae ructus,

Onus impar, Jugum dispar,
Stomachus debilis, Memoria labilis;
Panis defectus, Frequens despectus,
Praecox senium, Nausea rerum,
Contagii periculum, Coeli desiderium
urgent meum abitum.

Ne vero nihil agerem, in alumnorum studii theologici restitutionem et subsidium, cunctantibus ipsis Musagetis, totus incubui, quibus in exemplum et spem patriae 5. Junii Gottlieb filium inserui[187]). Dehinc ut superesset post tantam vastitatem, quod ecclesiastarum mores vel formaret vel coerceret, regulam ex rescriptis majorum, quam cynosuram oeconomiae ecclesiasticae appellare visum est, concinnatam publici juris feci, haud dubio in futurum usu, cum nos symmetriae Würtembergicae gnari defecerint. Nam a mille quadraginta sex capitibus, quae ecclesiae dedicata atq. adhibita apud nos erant, jam ad 338 redacti sumus. Cum patria clade hoc quinquennio 518 varia peste absumpta sunt, (ut de totius populi clade, qui 345,237[188]) capitum quondam fuit, conjecturam praeteream) quae mihi recensenti plane horrori fuerunt, cum inter ea patronos 2, praeceptores 3, competitores 11, concreditos 30, sororios 2, cognatos 9, affines 15, sodales 5, intimae notae amicos 5, communioris 33 numerarem et orbitatem meam atque solitudinem deplorarem. Vix quindecim ab omni aevo meo supersunt, quibuscum vitae fabula acta est, et amicitiae vestigia agnoscunt. Sed et hic annus saevus mihi funeribus fuit, ablatis 22. Martii Conrado Theodorico magno theologo,[189])

21. Sept. Johanne Harprechto, et 30. Febr.[190]) Matthaeo Hillero juris consultis nobilibus, hoc cognato et commilitone, illo affine, 11 April. Jo. David Moeglingo affine, et 14. Decemb. Jo. Leporino medicis, 28 Maji Samuele Gerlachio compatre et affine nivei pectoris, 18. April. Jo. Martino Andreae rectae mentis, et 29 April. Zacharia Greinsio difficilioris animi ecclesiastis, posterioribus proximo sanguine conjunctis, sed et 8 Mart. Michaele Feselio agnato, olim discipulo, et 16 Jun. Christophoro Lucio Calvensium paedonomo, tum foris Sigismundo Evenio, quem Saubertus conciliaverat, restituendae rei ecclesiae intento: imo ipso meo quondam deliciolo Josepho Demmlero amoeni ingenii et lacteorum morum juvene, filii loco ex domestica consuetudine mihi semper habito, dum ad me invisendum venit, subito cum incredibili meo desiderio 2. April. extincto. Aulam infra metum meum hac quidem rerum angustia tractabiliorem expertus sum, nisi qua immodico venationis studio abripiebatur, faciliusque de hujus quam curiae moribus corrigendis speraverim, quos illa velut jus suum mordicus tenet, prostitutos interdum, ridiculos et viris tam gravibus indignos. De aulae hospitibus illustrioribus quid opus est dicere? quos ipsa non minus quam stagna pisces habent. Fuere autem, si quid ad rem, hujus anni eminentiores Christianus Palatinus, Ernestus Jaegerndorfius, Wilhelm. Badensis, Marchiones, Zollerensis, duo Ebersteinii et Leosteinius comites. Illustris gynaecei Susanna Palatina, Anna Wirtemb. principes, Anna Amelia Freibergia Rheni, Anna Ame-

lia Stolbergi, Barbara Maria Ebersteini, et Anna Elisabetha Leosteini comites, tum Martis pulli primores: Mercius, Glenius, Golzius, et secundarii: Ungelter, Wolffius, a quo gradarium equum dono accepi, Holzius aliique magno numero, in quos inquirere non libuit, potius quid condimenti inter hos strepitus fuerit, annotandum. Cujus facile primarium conversatio cum illustribus virginibus nostris Antonia, Anna Joanna et Sibilla, Wirtemb. Gratiarum triade, pietatis, innocentiae et concordiae rarissimo speculo et specimine omnem fidem superante, qualeque vidisse omni vita mea non memini. Hae cum musicis instrumentis et probatissimis libris temporis et suae sortis taedium fallerent, animi tranquillitate, adversorum patientia et voluntatum consensu praeter morum amabilitatem et facilitatem, saepe in aegritudine mea solatio, vel potius exprobrationi fuerunt, ut ad me post animi deliquia et fraeni morsus citius redierim. Cujus indicem 10. Oct. trigeminum annulum honorarium omnibus aliis illustribus donariis contrahabendum accepi, jucundissimae conversationis et familiaritatis monumento futurum. Stetit tum aula praeter 6 illustres personas 24 tantum capitibus nobilioribus: Jo. Jac. a Reischach, Ludovico a Janowiz et Jo. Alberto a Welwart consiliariis, Ascanio a Borcken juventuti quondam principis, Johann. Baltas. Buochenavio domui, Jodoco Henrico a Lente stabulo, et Jo. Henrico a Goelniz venationi, tum Ludovico Guth a Sulz et Ulrico Alberto a Geisberg gynaeceo praefectis, porro

Frid. Benjamin a Münchingen, et Mauritio a Cronek cubiculariis, Philipp. Ludov. Schilling a Canstat structore, quibus nuper accessit Henricus Wezelius de Marsilia famulitio exemptus, in quo Georg. Wolfgang. Zorn a Plopsheim, Philippus Carolus ab Helmstadt, Magnus a Gemmingen, Jo. Eberhardus Truckses ab Hoeffingen et Jo. Ludovicus Sainctbange persistunt. Gynaeceum vero Barbara Maria comite Ebersteinia, Theodora Stetenbergia nata Nervia praefecta, Dorothea Elisabeth ab Uttenhofen, Agatha Margaretha a Ninem, Catharina Langmantlin et Sibilla Maria Hallweilia absolvebatur. In quibus in universum considerandis plura pietatis, eruditionis, prudentiae, experientiae, comitatis atque temperantiae ornamenta commendanda, quam aulae inquinamenta culpanda, hactenus deprehendi. Quae accessoria hujus anni fuerint, paucis expediam, quorum primarium Wensii incorruptus amor, quo denuo me ad se lauto stipendio vocavit. Principis Ludovici Friderici tenelli, 18. Jan. vita functi, exequiis adfui 22. Jan., post etiam 24. Mausoleum Wirtemb. princip. introspexi. Morbi duo me exercuerunt 15. Febr. et 27. Julii, sed breviores et tolerabiliores, difficilius uxorem 2. Sept. ac cum trimestri mora. Hospitia duo fuerunt, unum in Moserianis, alterum principis aedibus, quas 8. Martii et 17. Sept. immigravi. Bis Esslingam exspatiatus sum 25. Febr. et 5. Aug. salutatum de me optime meritum senem Lud. Hohenfelderum cum delirio luctantem, semel Calvam 16. April. Johannem Schübelium a pietate et

eruditione divitem, caetera egentem, domi meae a 14 Martii ad 11 Junii alui. Eundemque liberum accessum Paulo Jenischio[191]) octogenario, ecclesiae Christi nec ignoto nec inutili, dedi. Facultatum magnam jacturam feci, cum ex Christophori Demmleri decoctione, tum salarii defectu, quae mihi plus mille florenorum exhauserunt. Amici novi pauciores contigerunt, ex quibus supra Wagnerum indicavi. Thomas Lansius reconciliari visus est 26. Julii, majoris quam alii habendus, si perstiterit. Ecquod operae precium hoc toto anno fecerim, sane non memini, nisi quod Calvae meae omni studio et fide qua potui intercedendo et communicando adfui. Quod cum liberius in secreto principis consilio 20. Febr. facerem, animos plurimum a me alienos reddidi, quod nescio quam praedam spe conceptam intervertere et fidem datam poscere confidentius viderer. Adeo gratia omnis in obsequio, jure an injuria, non refert, sita est, cui obligare conscientiam, aut excidere necessum. Natalibus principis Christiani Eberhardi coram adfui 30. Nov. primumque plausum et votum dedi, cujus gratia munus 60 flor. alumnis Tubingensibus tuli. Si quicquam superest, cujus me non poenitet et piget, id esto, quod cum promovere bona minus licuerit, mala cum collega conjunctissimo Schüelino impeditum omni nisu et contentione iverim; caetera ad Titi dicterium allusione facile dixerim: amici annum perdidi.

Quadragesimus a seculo decimo sexto scalaris annus, qua corpus, qua animum vexationibus et fastidio plenus fuit, initio a febri tertiana facto, quae

me in ipsis exequiis illustriss. Julii Friderici Würtembergici, cum ei justa facerem, corripuit 18. Aprilis, qualis jam a 28. Januarii conjugem exercuerat, et ad 15. Martii propemodum neci dederat. Cui abigendae uterque cum familia Calvam indeque acidulas Thainacenses adivimus, et divino beneficio saluberrimas experti sumus. Egressus domo 28. Apr., voti reus 3. Junii domum redii. Eodem munere paulo post revaluit Gottlieb ex maligna tabe, quam in stipendii Tubingensis convictu contraxit, qui posthac mecum vixit, et ecclesiasticae functionis tyrocinia prima fecit 2. Aug. in vicino Heslaco[192]). Post nobili pueritiae Reischachianae prolis praeceptor admotus, 10 Aug. in ipsius convictum transiit. Dum Calvae essem, antiquum illud ulcus aemulationis recruduit, irritatoribus Andlero et Hesso, illo praefecto, hoc actuario, verius utroque urbis peste nocentissima, quod utut parum noxae dederit, voluptatem tamen, quam ex revisione ecclesiae mihi amantissimae animo praeceperam, amarulentam fecit. Andlerus etiam sumptus curandae valetudini meae a principe concessos nequitia sua intervertit. Domum reversum acerbior contentio excepit. Theologaster quidam A. F.[193]) petulantius et insolentius quam pro dignitate in acidulis Thainacensibus egerat. Cum id bonis omnibus ac mihi displicuisset et ob id passim male audiret, visum est homini effronti et effreni in me potissimum impetum facere. Invectiva itaque jactantiae et bilis plena ad me 14. August. data, injuriarum reum agit. Nec hoc satiatus pro suggestu

in me et collegam Schüelinum debacchari ausus, in conviviis etiam et circulis inter suae farinae socios contumeliosus criminationum modum nullum fecit. Qua de re cum apud synodum[194]) theologicam 7. Sept. uterque questi essemus, infidorum fratrum nostrorum lubricitate et factionis illius Epicureae collusione effectum est, ne poenas impudentium facinorum meritissimas daret et veniam a nobis impetraret. Quod ipse victoriam suam interpretatus, impudentius adhuc in me et D. Wagnerum exarsit, quos Weigelianismi et sycophantias insimulavit, sed ob id increpitus dira sua mendacia 22. Sept. resorbuit, testatus tota actione virum loquentiae multae, pietatis nullius, togâ sacrâ, mente profanum, frontis perfrictae, oris putidissimi, secta Epicureum, opere simoniacum, ecclesiasticae rei summopere formidandum. Magna pars anni molestissima hac contentione acta est, cujus materiam scire posteritatis interest. Fuere, quorum pars ego, qui choreas insolentes, commessationes frequentes profusissimumque vestium luxum in patriae excidio et incolarum hinc inde angustiis maximis intempestiva et legibus coercenda judicarent. Alii non tam' toleranda et in solatium miseris danda, quam, quasi religione tenerentur, stabilienda, ipsis etiam diebus solennibus majoribus et interdicto concedenda contenderunt, quicquid etiam coelum prodigio, 14. Maji, terra eluvione 28. Junii, partus etiam monstrosissimi Winnedae 4. Septemb. et .... mali nobis minarentur. Caput horum se Vulcanus fecit, ipse quidem

claudus, sed cui procacissima Venus saltatrix, docta aliud Johannis caput praemium auferre; hunc secuti Satyri, Fauni et Priapi sacerdotes alii, vitulantes, tum tauri pingues et capri petulci, qui mox nobis pugnam ambiguam faciebant, cum angustiae spiritus laxitati carnis nec quicquam opponerentur. Explosi sumus etiam ab iis, ubi mica verae pietatis superesse credebatur, tantum abest cesserint, quibus facinorosam conscientiam his delinimentis soporare est necessum. His nempe conductoribus in barathrum exitii properatur. Interea nihil est omissum, quod vel ad formandas vel sublevandas, aut reformandas res ecclesiae faceret, cui fini synodus jam per sexennium intermissa magno nisu impetrata, quae coepit 26. Aug. erectis animis, desiitque dejectis 11. Sept. et in spongiam incidit, scilicet in capitis dolore medicina pedibus adhibita. Paulo ante cum princeps male consultus manum bonis ecclesiasticis sub novalium nomine injiceret, intercessit consistorium, et petito ad 6. Julii principis colloquio, quo cum conscientiae periculo et Dei anathemate haec res conjuncta, ac quam a principum antecessorum sancitis, testamentis ac publicis protestationibus aliena esset, prolixe ostendit, ad quae perbenigne princeps respondit, testatus: nequaquam hoc fraudi ecclesiae fore, quod idem consiliarii secretiores lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide confirmarunt. Artibus tamen curiae et harpyiarum ingluvie effectum, ut vix dimidia pars praedae, quasi dono et gratia, ad ecclesiam redierit,

unde ea secuta est redituum sacrorum angustia, ut per universum Würtembergiae agrum non praeter sesquimenstruum stipendium suppetierit, nisi quibus vel stipe aliena, vel agricolatione sua paulo liberalius vivere licuit, cum interim equisonibus, ludionibus, gulonibus, venatoribus et id genus aliis, unde luxuriarentur, abunde esset. Qua de re cum iterum 26. Julii interpellaremus, et Melchior Nicolai theologus de alendo ministerio dissertationem publicam contulisset, bilem movimus iniquitatis instrumentis, ludibrium facti; sed nec hoc absterriti, importunis precibus et verbi divini minis obtinuimus, ut communi omnium curiae ordinum rationes sublevandi ministerii et restituendi illustris stipendii inirentur, quae collatio ad 9. et 14. Nov. instituta, 12. articulis cum principi, tum provincialibus ordinibus comitia agentibus, expeditam profecto et Deo gratam sustinendae rei ecclesiasticae viam suppeditavit, quae in speciem accepta, sed mox trium legionum hybernis ingruentibus eversa, haud dubio solutae fidei tacita voluptate praedones Christi perfudit, nobis vero heu quantum nisus, laboris et taedii quantum, sed et spei ac pollicitationum periit, ac inprimis pacis Ratisbonae reducendae fama evanuit, quod ad tribunal Christi referimus. Caetera parum rei ecclesiasticae est consultum, contumacibus factis ipsis pseudo-ministris et lascivientibus, quasi inopia omne honestatis et decori vinculum solveret. Wagnero, ut Anti-Besoldum variis machinis impeditum eniteretur, obstetricatus sum.

Qua eadem ope nunc parturit Nicolai malleum[195]) perfringentem vitreum speculum vanitatis. Credi non potest, quam trepide admittat politica ratio masculam veritatis professionem. O virtus germana, o heroes confessores, tuque Christophore princeps quondam noster, quantum a nobis recessistis!

Addam nunc aliqua anni hujus delinimenta. Neptes Dei dono ex utraque filia accepi, Annam Mariam 1. Apr. et Mariam Elisabetham 25. Maji, quas eidem 23. et 9. Junii non invitus reddidi. Lud. Hohenfeld. senem pendentis valetudinis invisi 7. Jan. et 5. Aug. Esslingae. Augustum Luneburg. principem propitium, Wensium et Mockelium beneficos sum expertus. . Saubertus, Schmidius, Heinhofer, Meuderlinus, Freinsheimius, Glonerus et Reinhardus dulcibus alloquiis solatio et recreationi fuerunt. Novi amici accesserunt Poemerus*) et Laz. Hallerus patricii Norici, rarissimae eruditionis, pietatis et modestiae viri, Berchelmannus Theodori theologi filius ad paternas virtutes assurgens innotuit. Unus amicissimorum, sed instar multorum Mat. Berneggerus, quocum 34. annis arcta necessitudo fuit, 5. Febr.[196]) rei literariae damno diem obiit. Bidembachius[197]) idem ex veteribus amicis 16. Julii revisit, in lauta fortuna nihil animo mutatus. Aula nihil memorabile tulit, nisi quod maximae spei puerum principem Christ. Eberhard. 12. Jan. renatum, 23. Martii denatum, sequenti 30. extulimus, quem felix natalis

---

*) Cod. A. et B.: Johannes Abrahamus Poemerus.

fratris principis Eberhardi 12. Dec. supplevit, quem Christus sibi 1. Jan. insertum diu sospitem velit. Accessit ministerio magna virtutis dudum probatae expectatione Jo. Caspar Lerchenfelderus Napurgius, camerae sive quaesturae praefectus. Hospites habuit Wilh. Badens. Marchionem, Leuchtenberg Landgrav. cum conjuge Helfensteinia comite, principem Holsatam Julii Würtemb. viduam cum illustri utriusque sexus prole, Jacobum Rappolst. dynastam, ejusque conjugem herae nostrae sororem, praeter inferioris sortis alios. Res familiaris suspenso diu tandemque acciso stipendio ad incitas prope acta est, paucissimis munusculis, e quibus herae principis poculum et trium Wirtembergiae Gratiarum jaspis affabre sculpta, eminent, furcillata. Frid. Casimirus Canofzgius vir nobilis testudinem eburneam dono dedit, ob id non praetereundus. Pueros tamen in herbam rei literariae domi alui Erhardum Machtolphum a 3 Febr., Johannem Ergezingerum a 24. Oct., et Frideric. Hellerum a 2. Decemb.; illum quidem paternae amicitiae intuitu gratis, hos tenui precio. Amicis ope, pauperibus stipe, quoad licuit, adfui. Addam denique, quod vel Democrito splenem, vel Heraclyto lacrymas, vel Momo bilem moveat. Praedium[198]) emi, cui nomen Kürchpachium, e patriae ruinis in spem potius renasciturae salutis, quam praesenti ullo usu 137 cum cerealis tum pascui agri, jugerum una cum villa et gemino pomario 280 florenis praesentibus. Fuit id quondam Sebastiano Hornmoldo[199]) Bietigheimii praefecto,

de quo in fama Andreana a fol. 26 usque 35 videnda, a principe Christoph. in feudum datum 1534[200]) 17. Febr., postea princ. Friderici beneficio ab omni civili onere ethomagio ipso liberatum 1604 2. Jan., aliquot florenorum millibus pridem aestimatum. Desipuerim, nec ne, posteritas dicat. Sane cum*) Jeremia de patria desperasse, rebus angustissimis videri nolui. Annum claudat Tobias Schneuberus Roetelensis, homo utramque militiam expertus, qui quod passim obambulans cordate facit, poenitentiam et pacem nostris inclamavit, aestimatione an miseratione dignior sit, in incerto relicto.

Angustas res domi ampliores fecit Augusti principis Luneburgici munificentia, qui cum clementissimis aliquot literis sua manu eleganter scriptis me esset consolatus, munus addidit prorsus illustre ducentorum imperialium, qui cum Wensianis centum conjuncti 2. Junii mihi numerati sunt, cujus memoria cum mihi, tum meis posthac sacrosancta esse debet. Me sane jam alieno aere oppressum hoc coelitus conciliatum beneficium adeo erexit, ut veluti tenebris hactenus obsitus, liberaliorem lucem jam iterum reviserim. Praecessit strena principis herae scyphus argenteus elegantis formae, et trium illustrium Gratiarum cymiliae, secutaque a .... Rosa tribuno aureus nummus Lusitanus, quae**) labascentem domum utcunque sustinuere. Nec enim

---

*) Cod. A. et B.: cum Jeremia cap. 32, v. 43.

**) Cod. A. et B.: dona, quae.

a salario hoc toto triennio quicquam opis sufficientis erat, quod centenos florenos et quadragenos vix excesserat, non unius oboli accidentaria liberalitate suffultum, id quod vix alibi fidem inveniat, tantillo precio tantos ac prope immensos labores fuisse locatos. Non minus tamen aedes meae quasi publicum hospitium ambientium, negotiantium, solicitantium exspectantiumque clientum fuere, quibus fovendis generorum meorum humanitas plurimum contulit. Interea cum in sublevando illustri stipendio, tum alendo fatiscente ministerio plurimum est atque strenue laboratum eo eventu, ut collecta per omnem ducatum stipe **3000** fl. alumnorum convictui, **2500** egestati ministrorum, qui numero circiter **600** fuere, cesserint, alii **3000** fl. alio, ut solet, abierint. Imperatum tamen agricolis est, ut fundos jam ubique sylvescentes et publicos, suo quique loco, pastori certo numero et ratione colerent, quod nonnullis bene vertit, scilicet ubi minus solitudinis et jun|ti|ceti ex publica clade factum. Majoris vero contentionis fuit, quod aliquoties cum simonia bacchante ecclesiamque cum ambitu infestante, tum facinorosis haud paucis obtrudendis maculante, acriter atque singulari duello **25.** Maji et **6.** Augusti fuit confligendum, cujus ea fuit impudentia, ut jam vix nisi nihili hominibus atque crudis esset locus, bonis innocentia ipsa in culpam verteretur. Quibus arcendis quid obtinuerim, non ausim pronunciare, cum etiamnum in herba anguis deliteat, prima quaque occasione, Apap[201]) annitente

et sufflaminante, vires resumptura. Me tamen soletur recte facti conscientia, ipse vero ringatur lupus, qui saepe ab ovilibus secus quam animo praeceperat, est abactus. Atque sic anni major pars peracta, geminato propemodum muneris onere, collega Heerbrando[202]) vel aegrotante, vel principem herum consectante, cum mihi saluber fuerit, nec valetudinem, nisi a 16. Martii ad finem ejus, qua pedem dexterum, afflixerit; amicis tamen meis noxius fuit, primum Ludovico Janowizio virtute et natalibus nobili, sanctioris nostri senatus primario, qui Ratisbonae in comitiis, quibus toti Germaniae amnistiae larva impositum*) est, legatus diem obiit 31. Maji magno nostro damno, ut qui patrii juris consultissimus rectique custos integerrimus, rebus nostris restituendis unice obversabatur, mihi per triginta amplius annos amicus invariabilis. Secutae sunt 8. Junii Noribergae Susanna et 4. Aug. Belleria Conradi Baieri patricii Norici illa conjunx, haec socrus prior, ob conjunctissimi mihi in Christo fratris et amici probatissimi luctum dolendae. Tum omnium acerbissimo et insanabili vulnere Wensii Luneburgici, Wilhelmus ille Wensius, heu quondam meus, Wensius nobilitatis unio, jam ab anno 1612 fidissimus Achates, toties in hac rapsodia mea nec unquam nisi honorifice nominatus, 4. Augusti durissimo mortis genere suis in aedibus molari rota contritus, de quo sive ingenti dolore praepeditus,

---

*) Cod. A. et B.: larva imposita est.

sive quod solenni parentatione virtutes viri incomparabiles exequi in animum induxi, plura hic addere supersedeo. At nunc actus mihi referendus est jam diu animo meo rejectus, nunc demum vero hac aetatis et virium juxta atque ingenii inclinatione, praepostere utique, sed tamen amicarum rationum persuasione susceptus. Veni Tubingam 9. Aug., ut pupillorum sororis Reginae reculis tutorum perfidia eversis succurrerem. Hic Melchior Nicolai academiae procancellarius, theologus qua calami vigore, qua vitae innocentia e paucis, nihil tale cogitantem adoritur, et ut ultro oblatum doctoris theologi nomen assumerem, adductis in medium rationibus, contendit, obtinuitque ut mecum ipse hac de re domi deliberarem. Quod cum in utramque partem librarem, tandem sic statui, nihil fore ad jugulandam effrenem bestiam[203]), quae me superiore anno sub aliena pelle impetiisset virusque suum per complices non citra noxam disseminasset, praesentius, quam solenni hoc testimonio innocentiam et orthodoxiam orbi christiano probare. Cui cum principis etiam heri facillimus consensus et amicorum stimuli accessissent literisque suis D. Nicolai denuo animasset, dedi victas manus, ac propemodum pudens alienum de me judicium admisi. Placet vero et Nicolai ipsius literas, et meas, quibus honorandis meis collegis consilii mei rationes bona fide communicavi, inserere, quae illae sic habent:

Admodum reverende et praeclarissime vir, amice et frater in Christo honorande!

Nihil magis in votis habeo, quam ut quod verbis inter nos actum est, re comprobetur. Egi ea de re cum collega meo D. Joh. Ulric. Pregizero, uterque sic consensimus, quia sexagesimum annum egressis mors imminet, e re publica fore, si viventibus et valentibus nobis aliqui summo Doctoratus honore decorarentur, qui nobis fato functis vel succedere, vel alios successuros eodem honore ornare possent. Tibi quem praeferamus, aut aequiparemus, neminem habemus. Deum rogamus uterque, ut de*) avo tuo D. Jacobo Andreae, praepos. et cancellario quondam nostro Tubingensi, viro de ecclesia et schola nostra praeclare merito, autoritate et fructu in ecclesiam redundaturo, non minorem faciat, cui te commendamus, et salutem plurimam fratribus nostris collegis tuis, nostris verbis nunciari cupimus. Dabam in meo musaeo pridie Bartholomaei, anno 1641. V. R. D. addictissimus

Melchior Nicolai D. procancellarius.

Meae vero ad Wilh. Heerbrandum et Jo. Joach. Schüelinum ita:

S. P. C. Admodum reverendi et praeclarissimi viri, fautores honoratissimi et in Christo nostro fratres amantissimi.

Si quis forte miretur, quid mihi in mentem venerit, ut annorum ac in ecclesia Christi munerum satur, quod florente aetate et facultatibus integris praetermisissem, nunc demum Doctoratus in theo-

---

*) Cod. B. et a.: Te avo tuo.

logia titulum assumendum putarim; ejus rationibus, aut etiam reprehensioni minime refragabor. Nam rebus meis undique accisis, nec honorum accessione ulla mihi sive optanda sive exspectanda, unius tituli auctuarium, paulo post terra sepeliendum licitari, negligentis potius quam boni patrisfamilias indicium appellari posse haud diffiteor. Etsi enim quibusdam rationibus institutum hoc meum illustrissimo principi hero nostro quasi approbasse videor, non tamen dissimulo, posse eas facile refelli adeoque majorem culpam mihi imputari. Quid enim labascentem meam familiam inane nomen furcillaret? Quid violentiae infelicis patriae fati, quod tot illustres familias, nedum plebejas evertit, ac etiamnum contra omnes ordines impetu grassatur, doctoris larva obniteretur? Quod etiam non ambienti, nec tale quid cogitanti oblata sponte haec dignatio est, amori potius quam judicio tribui potest; cui cum per effoetum ingenium et dejectas corporis vires minime respondeam, evidentiore, quam unquam alias a me factum est, ab hoc onere ratione excusari potuissem, cum a scopo suo Tubingenses theologi, qui senio suo suppedaneos merito et prudenter quaerunt, in meae personae delectu plurimum aberrarint. Caeterum alia mihi est, admodum reverendi et conjunctissimi collegae, ratio, quam foris premo, apud vos vero, quod per fidem fraternam debeo, ingenue depromo. Meministis, quae heu mala bestia potiorem vitae studiorumque meorum partem insectata sit, quam virtutis et fortunae comitem aut

umbram dicunt, nempe invidia. Ea virulento corde, livido ore, trifida lingua manibusque uncinatis jam diu est, cum me exercet, nec quia vespertilionis instar alata est, uno loco consistit, sed calumnias suas procul disseminat. Cui licet non tam vitae integritatem, quam muneris per triginta circiter annos publice et conspicue in ecclesia exerciti fidem, tum octoginta plus minus pedo meo creditorum collegarum testimonium dudum opposuissem, non tamen evitavi, quin, cum ab ill. principe nostro ad restaurandas res ecclesiae dejectas vobis sociandus forem, sequioris me de religione nostra orthodoxa sensus reüm adeo detulerit, ut vel cum culpae si non confessione, certe suspicione mihi recedere, vel molestissima hac statione, a qua omni vita mea abhorrui, subsistere invitissimo necesse fuerit. Quem violentum ictum postquam animi juxta et corporis praesentia sic satis excussi fidemque meam vobis potissimum, reverendi fratres, approbavi, scitis ipsi, quis alius, quem minime omnium hoc decebat, mihi a fanaticismi exprobratione infamiam fabricarit, quam contumeliam, utut in herba suffocatam, ego sic accepi, ut ab eo tempore publicum aliquod et solenne innocentiae meae specimen edendum funusque meum integerrimorum theologorum elogio coronandum in animum induxerim. Cui rei peragendae quem alium locum nisi Tubingam, aliam scenam, nisi auditorium theologicum, religionis nempe nostrae sacrarium eligerem, profecto non habui. Ibi enim per 13 annorum intervalla fidem, quam majorum opera et celebri fama sancitam cum materno

lacte suxeram, bonis literis et artibus firmavi. Hic praeceptores meos sanctae memoriae heroas: Gerlachium, Osiandrum, Hafenrefferum, Sigwartum, Schaefferum, quos vel paterno affectu, vel domestica familiaritate propensissimos habui, audivi, approbavi et imitandos mihi proposui. Ad quorum pulpita adeoque cineres de sincera et inviolabili mea fide et consensu sancte protestari et jugulare effrenem calumniam, si animus meus ad amicissimam procancellarii Tubingensis probatae fidei theologi, invitationem, facultatis theologicae liberalitatem, totius universitatis applausum non aegre consensit, fateor me aliquid humani passum et culpam apud vos (quibus interna mea vulnera nota sunt) temeritatis vel ambitionis deprecor, paratus, si vestra etiam approbatione hoc supremo bonae meae famae contra obtrectatores curandae officio fuero defunctus, nunquam majore animi fiducia et strictiore mutuae caritatis devinctione, tum amoris etiam vestri in me certitudine, communibus studiis, actibus, bonorum malorumve participationi adesse, quos Christus ipse dirigat, sospitet et beet, cui vos, admodum reverendi fratres, seriis precibus commendo.

V. Eid. Sept.*) A. 1641. RR. VV. DD. omni observantia et fraterno officio addictissimus

Joh. Valen: Andreae.

Rebus ergo ad hunc modum constitutis, cum bono Deo 20. Sept. Tubingam redii, officioque ex legibus academiae defunctus[204]), sermonem ad concionem

*) Vide quae notae 204 sunt inserta.

publicam de gratitudine Deo rebus etiam hisce afflictissimis debita habui 26. Sept., posteraque solenni inauguratione, in illustri domus Wirtemb. et ampl. aulae, curiae, patriae et academiae ordinum contuitu et applausu, orthodoxae Lutheranae religionis theologi nomen non jam primum, sed evidentius jurata fide contestatum assumsi, simulque, quid me in religionis nostrae integerrimae, sed parum religiose custoditae lapsu jam dudum torsisset atque etiamnum exerceret, palam sum professus. Qua de re omni actus ipse doctoreus publico judicio[205]) expositus loquatur. Sumptus feci 100 circiter imperialium ex Augusta illa manu[206]), quibus vicem retulerunt principum, dynastarum et civitatis Calvensis honoraria, ut honoris strepitum aliis debeam, mihi oneris partes aequo animo servem, aliis judicii libertatem juxta bonis malisve libens relinquam, posteritati vero bonae fidei recitatione inexspectatae hujus rei gestae rationem reddam. Fortuita hujus anni fuerunt, auspicatus principis Eberhardi quarto geniti domicelli sacer natalis Calendis Januarii solennis, qui secuto ad 24. Febr. funere et exequiis Cal. Martii brevioris gaudii fuit. Hospites in aula vidi praeter minores regis Daniae legatum 20. Apr., Hasium exerc. ducem famosum 4. Maji, Albertum Brandeb. March. Onoldinum principem cum Heinrica Würtemb. Lud. Frid. filia sponsalia facientem 11. Nov., comitem Loewensteinium, barones Rupis-Spoletanum, Moersburgios, Welzium et Geizigkofferum, de quo postremo mox plura dicenda venient.

Perexigua hujus anni recreamenta fuerunt, molestiae innumerae, una alteraque expatiatione animum serenavi, cum Esslingae generos. Hohenfelderum senem inviserem 1. Sept., et praedium meum Kirchbachium, quod Bietingae proximum est, 25. Aug. coram intuerer sane quam bellonae injuria deformatum. Ex auspicatis fuit nepotis ex filia Agnete Elisabetha, mihi cognominis natalis 4. Aug., et neptis Mariae Barbarae festivitas, quae per trimestre senio nostro in deliciis domi fuit. Ecquid in rei sacrae et literariae subsidium libellorum contulerim, in proximum annum, ubi lucem videbunt, referetur. Sub anni finem Ferdinandus, Zachariae Geizigkofferi[207]) illius, qui magna virtute fortunam ad immensos honorum et opum gradus sibi propitiam fecit, filius et felicitatis haeres nostris rebus omnibus cum summo imperio praefectus est; gratis, ut ad populum spargebatur, nobis consulturus, sed quo carius nihil constiturum, nasutiores augurabantur. 18. Nov. ab ipso principe solenni inauguratione Proprinceps pronunciatus. Hoc primum nescio quo omine egit, ut mensa principis cum consiliarios, tum ecclesiastas ac veteres quosque fidos ministros excluderet, in speciem ut contractius et parcius, re tamen vera licentiosius, remotis arbitris, viveretur, quod ab eo tempore luxus et commessationes in nervum erumperent. Post ordinum provincialium comitia indicta, quae ab 8. Decemb. ad 24. usque Febr. sequentis durarunt, magno rerum emendandarum hiatu, exiguo, si stipem in ecclesiae

ministros collatam excipias, ob pacis jam expectatae suspensionem et bellonae contra continuatam voraginem profectu, onere in provinciales non levículo. Crevit interea Proprincipis dominatus, qui legum, jurium, immunitatum, consuetudinum pactorumque in sacra pariter et profana cuncta instar factus est, ringentibus, quorum facilitate esset admissus, mordentibus frenum, quos pridem summi natales aut amplae fortunae, aut paulo ante pares prope dignitates a servitute exemerant. Mihi quadra mea vivere et ab aulae ministerio liberari, lautitiarum negligenti, et servilis officii impatienti, plane optatum accidit 11. Nov., ut qui id temporis, quod aula depavisset, in magis seria et ecclesiae proficua convertendum judicavi. Augustum si dicam succedaneum annum Augusti principis BRUNSV. et Luneburg. ducis munificentia et propensione, rectissime dixero, cui is etiam totus dedicatus esto. Praecesserunt ea cum illustres ab aula nostra strenae 3. Jan., tum ordinum prov. munus[208]) ob inauguralia mea inscripta, 28. Jan. et Chanofzgii humanitas. Interea parabantur subsidia rei christianae et literariae ad augustam Genii illustris trigemini[209]) aram grato et obnoxio animo meo dedicanda, ad quae ille majore etiam magnificentia 10. Maji 300 imperialibus respondit, sua scilicet magnitudine, non mea exilitate munus metitus, cujus ad meos monumentum capsam scriptoriam affabre factam magno pretio August. Vind. fieri volui; nec hoc quidem sibi satisfecit, nisi etiam in sanctioris consilii sui partem

asoisceret die Michaele sacro 29. Septemb. stipendio annuo 400 imperialium constituto, quo totum me suum, quantum res patriae meae sinerent, faceret, uti profecto habet, id quod ingenue et sancta fide profiteor. Exigui sane et jucundissimi laboris maximum pretium, sc. ut quae in rem ecclesiae illustri animo, judicio exacto et solertia incredibili ipse pangit[210]), ego lapillo meo exiguo approbarem. Valido jam facto dominatu[211]) novo, Simon etiam vana spe altius emergendi brachium hoc amplexus, genu flectit simulque ecclesiae jura proditor perdidit, cum quo idibus Martiis acerba mihi altercatio fuit, cujus indicium Vox libera emissa et apud Aug. principem deposita, fidei meae testamentum supererit. Ab eo tamen tempore labascere res ecclesiae nostrae et retro verti, unius quippe arbitrio sine regula et religione subjectae, sed nec ab aliis ordinibus magis temperatum; nam cum nescio quis tenebrio famoso libello, sed obsignato, novam rerum nostrarum faciem perstrinxisse ferretur, magna contumelia in omnes cujuscunque honoris, conditionis et famae viros inquisitum est, majore arrogantiae an incogitantiae argumento, cum de libellis occlusis nemo pronunciare posset, nedum vellet.

Mihi sub Aprilis initium, ut pastorali Calvae meae muneri hucusque suspensae renunciarem, injunctum est[212]); illuc ergo me contuli et 17. Apr. cum gregi meo post 21 custodiae annum mutuis lacrymis valedixi, tum successorem pastorem jam probatae fidei Christophorum Zellerum inauguravi, praesente prin-

cipe Eberhardo hero et plurimum favente, a quo lautia ultro citroque data et accepta sunt, sed quae res vitio mihi a Proprincipe versa et exprobrata est, supparasitante Simone et ecclesiae navem, quae una paulo post demergatur, perforante. Interea Albertus Onoldinus Marchio principum deliciae sponsam [213]) invisit, ut morae taedium, dum nostri acidulis et thermis valetudinem curant, falleret; cum quo conferre ejusdemque miram humanitatem experiri datum est, cum alias, tum 5. Junii potissimum, nec abstineo, quin ex ore suorum et constanti asseveratione repetam, omni naevo insigniore vacare hunc principem, quod contrariis juxta se positis stuporem quasi nobis intulit, certe admirationem tantae virtutis merito excitavit. Sed et hoc interstitio in res ecclesiae incubitum, prodigiis nonnullis duriora corda praecedentibus*), cum adjutore collega Schüelino in petulantiores mores quaesita diu censura ecclesiastica diuque impedita in lucem producta est, exemplo statim in adulterum edito, quae ne in infantia sua suffocetur, corvis [214]) censuram eludentibus, metus**) non levis est. Sed et leges sumptuarias contra vestium et comessationum luxum parturiebamus, quae nondum lucinam propitiam exorarunt, Apap undique incrementis christianis officiente. Secutae sunt demum nuptiae Onoldinae 21. Aug. pompa pro temporis ratione contractiore, praesentibus***)

*) Cod. A. et B.: percellentibus.
**) Cod. A. et B.: metus mihi non levis fuit.
***) Cod. A. et B.: praesentibus tamen.

Fr. utriusque sexus principibus 12, comitibus 6, altera dies lustrico sacro infantis principis Sophiae Ludovicae 18. Febr. superioris natae ob illustrium patrinorum praesentiam data, omnesque orgiae quatriduo absolutae. Ejus rei obtentu ad nos revocata est Anna Johanna trium nostrarum Gratiarum media 20. Junii, quae apud materteram Mariam Eleonoram Ludov. Philipp. Palatini conjugem jam a 6. Octob. superioris anni multis blanditiis pellecta Meisenheimii substiterat. Cum enim, caetera comiter et liberaliter habita, Calvinianam sublestam fidem, tum horrendas in Christi carnis omnipraesentiam voces ac petulantem in nos calumniam et Vatinianum odium experta esset, anxie reditum ad nos literis ad me repetitis quaesivit meoque ministerio obtinuit, haud dubio posthac per vitam Calvinianam perfidiam abhorritura. Inter multas occupationes, dum collega Heerbrandus magnam anni partem aeger vel absens esset, aliquid tamen scriptioni surripui, inprimis Jonathanem meum Wensianum incomparabilis amici luctum, quem cum Benjamini Buwinghausii, D. Mageιri, Johannis Andreae ex fratre nepotis alumni, et Josephi Demmleri quondam domestici funebribus conjunctum elegantibus Sterniorum Luneburgensium typis, quorum in epitome Maestlinianae chronologiae[215]) periculum feceram, excudendum dedi. Converti ex Italico in Latinum Joh. Metrezati de Communione cum Christo in eucharistia insidiosum libellum[216]) ad veritatis fidem aprican-dum. Promovi in lucem Cytharam Maicklerianam[217])

et Virgam divinam Calvensem Luzianam, cum Augustaeo plausu, privatisque meditationibus, quae cordatis olim cordi, vecordibus c[h]ordae esse queant. Et hactenus me domi continueram, cum subito oblata est Noricos amicos, quod jam diu in votis erat, revisendi occasio, Mauritio Croneccio rarae nobilitatis exemplo, principis heri cubiculario gratulatum novis episcopis Herbipolem et Ambergam ablegato, qui me Noribergam percommode deduxit 12. Sept. Hospitium dudum obtulerat et liberaliter dedit Conradus Baierus amicorum choragus, cujus duo filii Henricus Martinus et Georgius Stephanus, cum Georgio Sigifrido Colero et Christophoro Pfinzingio eorundemque praeceptore M. Johanne Mauckio 11. Julii ad me ex itinere diverterant. Inde amplexus intimum Saubertum meum, post amicis veteribus Cressio, Poemero, C. Marci[218]) redditus, novos conciliavi Baieri generos duos Lazarum Hallerum et Wolfgang. Jacobum Finne[ru]m, Oelhafium[219]) et Braunium*) juris doctores, et singularis notae virum Georgium Forstenheuserum. Vidi etiam praeter literis quidem cognitum, tunc vero primum visum desideratissimum Joh. Abr. Poemerum, Johann. Michaelem Dilherrum[220]) theologum, magnam vim eruditionis studiosae juventuti conciliandae pollicentem, atque Leibnizii quondam mei filium, vivam optimi patris imaginem. Salutavi ex officio principem Susannam Palatinam

*) Cod. A. et B.: Tobiam Oelhafium et Michaelem Braunium.

sub cruce gementem solamine acceptissimo, et quod minime exspectaveram, ab illustribus Stiriae proceribus exulibus perhumaniter invitatus, generosos viros, Gallum baronem Racknizium et Franciscum Christophorum Teufenbachium munificos et hospitales expertus sum, quorum hic in Vogelii jucundissimi senis horto suburbano cum baronibus Herbersteinio, Windischgrazio, Joebstelio eorundemque conjugibus lautia dedit 19. Sept., quod idem postridie imitatus Bajerus in Suabianis hortis praesente Sauberto et Marci cum suis et D. Braunio hilaritate non minore praestitit. Abii inde Onolspachium 23. Sept. magna spe nuper nuptos principes submisse invisendi et amicos, veterem quidem Tobiam Apoldum j. c. principi a consiliis, novum verum Joh. Berchtoldum a secretis epistolis egregiae virtutis et eruditionis virum salutandi, sed quod aula omnis abesset, frustra fui. Unicum vidi Majerum*) j. c. et ipsum consiliarium cognatae Rosinae Harprechtiae maritum, post etiam Christophorum Meelfurerum[221]), loci et ducatus antistitem primum, magni patris aemulum, qui quod domo abfuisset, veredis me insecutus, perhumaniter in amicitiam ulteriorem admisit. Ergo Rotteburgum ad Tubarim contendi 24. Sept., ubi in amplexus diu optatos Joh. Georgii Stirzelii consulis, polyhistoris et philologi eximii rui, insolitaeque humanitatis et comitatis virum re-

*) Cod. A. B. et a.: Georgium Majerum.

peri, cui obsecranti dies data, collega consule*) et affine Josaphato Weinlino medico atque musico excellente omnes hospitalitatis numeros implentibus, quod idem expertus est Croneccius, qui huc ad me ex itinere redierat. Unde Hallas Suevicas profecti, felici reditu domum 26. Sept. pertigimus, tristi sane quaqua viarum ob terrae vastitatem et locorum desolationem spectaculo, jucundissima tamen amicae passim conversationis memoria, quae cum desiderium amicorum restinguere debuisset, quod in ardore febris post aquas potas fieri solet, majorem etiam sitim excitavit. Post 10. Octob. Brackenheimium ablegatus sum, ut de principum juventutis Julii Peregrinatii et Suenonis Martialis Edelnolphi, Julii Wirtemb. filiorum[222]) profectibus testarer, quos sub magistro Nicol. Cunaeo in pietate et literis minime vulgares reperi, matrem vero Annam Sabinam viduam, domo Holsatam, principem cordatam et sagacem, sortem suam indignam et domus Wirtemb. fatum deplorantem, tristi utique, quantum fortuna etiam excelsis locis illudat imperetque, documento. Concessit paulo post 30. Oct. ad nos filiorum secundo genitus Sylvius Nimbroth, princeps ad amussim factus, et genuinum cognati principis Ernesti ducis Saxonis Vinariensis, Gothae domini speculum, cum inspectore Scholzio**) v. cl. qui non tam spem de Ernesti principis in me propen-

---

*) Cod. A. B. et a. lacunam Msti sic explent: consule Christophoro Hohenbergero.

**) Codd.: Matthaeo Scholzio.

sione confirmavit, quam salutationis clementissimae nuncio vadem se subsecuturae propioris connexionis interposuit. Qua mihi post Augusti mei perennem favorem accessio in terris nulla felicior et voti mei periodus felicior absolutiorque contingere poterit, cui Christus propitius adsit. Emortualem hunc annum habuerunt Johannes Jacobus Reischachius 8. Jan., Christophorus Engelbronnerus 17. Jan., Anna Buwinghausia Danielis filia 16. Jan., Joh. Jacob. Zellerus magnae expectationis juvenis, ecclesiae nostrae vicarius 3. Novembris, sed et Samuel Glonerus poeta nobilis Argentinae, cum paucis amicorum comparandus, in quo officiosi hominis et amore constantis magnam jacturam feci. Domestica parum mutarunt. Gottlieb filius ad*) ecclesiae nostrae admissus primam concionem in hospitali templo habuit 11. April. Neptis ex filia Ag. Elis. nata est Anna Maria 6. Julii matrinis Gratiis Württembergicis. Morbus nullus familiam afflixit, ab animi perturbatione magnam partem liber vixi. Amicum nactus Joh. Ab. Poemeri conciliatione Joh. Reistium, alium is adduxit Joh. Bermaierum[223]) Arndiani novi operis speciosissime solicitum excudendi curatorem Francoforti. Honorarunt inscriptionibus Jo. Martinus Eisengrein cognatus, juris, Jacobus Roth theologiae, et Wilhelmus Eberhardus Speidelius affinis, philosophiae studiosi. Messis uberrima, sed vindemiae steriles fuere, unde salarium illinc auctius,

---

*) Codd.: ad vicariatum.

hinc contractius. Sanguine hic pluisse 15. Nov., et sequenti 18. terram motam esse, testis ipse sum: quo omine, dies docebit. Ab hybernis jam satis malorum est et frequentibus incursionibus, deteriora avertat Deus clementissimus. Aula[m] Stuttgardia Kircho-Teccium*) transactam recto an sinistro consilio, eventus rei probabit. Atque hic octavi vitae meae per fortunae vices eluctantis septenarii terminus esto, quem Augusti nominis auspicio consigno, ut cum fatale mihi hoc ut plurimum fuerit, albo natalis et matrimonialis mei atro emortualium meorum dierum calculo notandum, id porro Augusti principis, heri mei memorabili ad posteritatem liberalitate, tanquam felix faustumque sydus familiae meae inseratur, quod piis precibus rectisque officiis ipsa veneretur. Jesum vero Christum Dei et Mariae filium vitae meae regulam et rotam, ut, quod fuit, tegat, quod erit posthac, regat ad sui nominis gloriam et meam aeternam salutem, toto animo precor.

Amicos dum hic sum, ex aula et curia nemo a me requirat, ubi amicorum plena sunt omnia, sed eorum, qui blanditiis primi, veris officiis ultimi sunt. Si quid tamen mihi odori sensus inest Ascanium Borckium, Stramelium Pomeranum quondam principis heri ephorum, et Mauritium Croneccium Carintium, principis cubicularium, prisca germana fide et virtute, hunc etiam christiana, sed et coll. J. J.

---

*) Codd.: Aulam Stuttgardia Kircho-Teccium 15—22. Decemb. translatam.

Sch.*) si quantum habet boni sensus et sonorae vocis, tantum cordati ausus adderet, et publicam rem privatae etiam periculo juvaret, omnibus aliis praetulerim. Denique cum privata scribamus, ut etiam de corporis temperamento aliquid addam, nemo prohibebit. Quod tenue et frigoris impatiens; laboribus tamen sufficit, et sine medica ope in hos annos, temperantiae et exercitationis subsidio paucis ac brevibus morbis impolitum**), stomacho aromatibus suffulto, productum est, cum jam a viginti annis lixivio et balneis abstinuissem, venam non nisi semel in ardenti febri secassem, cucurbitulis nunquam, purgationibus vix decimo quoque anno usus fuissem; somni parcus, litem in foro nullam omni vita expertus, picturarum et elegantiarum appetens, fortunarum negligens, frugi et hospitali mensa, animo defoecato, tranquillo et libero.

---

*) Voces: Coll. J. J. Sch., serius a Valentino et quidem alio calamo insertas, Codd. plane, lacuna relicta, omittunt. Conjicimus, voces illas explicandas: collegam Johannem Joachimum Schüelinum. [p. 179.]

**) Codd.: impetitum.

LIBER SEXTUS.

STUTGARDIANUM SEQUENS SEPTENNIUM.

Cum primum animum ad scribendam vitae meae rhapsodiam appulissem, longe aliud ac nunc consilium fuit. Nam quod hoc unum agerem, ut ab invidiae et calumniae morsibus orthodoxiam meam cum morum rectitudine et libertate conjunctam assererem, reliquos vitae actus et casus in alias chartas conjicerem, tamen postquam Calvensi busto cum scriniis meis omnis rerum praeteritarum memoria periit, coepi omnia, quae post accidissent, his etiam tabulis inserere, et quasi peculiares in usum meum ephemerides conficere. Quod lectorem morosum monendum putavi, ne sibi minutias hasce obtrudi queruletur, quas tantum relinqui mihi, dum vita suppetat, peto, separare cuivis a difficilima vitae meae tela, liberrimum relinquo. Quam veniam precatus, pertexere cum bono Deo pergo.

Annus ergo quadragesimus tertius patriae meae funestissimus, mihi serenus et tranquillus, paucis levibusque maculis interspersus, effluxit. Nam et indi-

gnatio apud praepotentes plurimum resedit, inter aequales livor remisit, quos inferiores secuti ab injuriis abstinuere. Valetudo firma fuit et res familiaris Augusti principis mei munificentia plurimum aucta. Soboles etiam gemino nepote Joanne Ludovico et Augusto 25. Aug. et 3. Oct. accrevit. Ipse dux Augustus totum hunc annum propemodum occupavit, cum quo literarium commercium, quod singulo septiduo reciprocaretur, ingressus, laboris et voluptatis paria feci, semper vero quod mirarer in principe viro habui. Nam quicquid mole tractationum de arcis Guelferbytae[224]) suae restitutione, repetitis subinde elusionibus, distineretur, tamen in Harmoniae[225]) evangelicae confectionem totus incubuit, quod opus olim posteritas, sat scio, stupebit, magis etiam si sciat, qua diligentia, sagacitate et indagine excreverit. Ac restitutio tandem et ipsa die exaltatae[226]) crucis quasi miraculo secuta est, cum nasutiores plerique desperassent, ipse solus fiducia in Deum, fide in Caesarem et pàtientia obduratus perstitisset. Cujus memoriam tribus nummis cusis sancivit[227]), campanam sine pistillo, pistillum sine campana, campanam denique inserto pistillo exprimentibus, cui sonantem quartam addidi, aureosque totos cum cataphracto equite maximi pretii dono accepi. Unica mihi alicujus momenti lucta fuit, quam memorare non abs re fuerit. Philippus Kielmann prostituti pudoris homo, cum iterum duas ancillas atque sponsus uno propemodum tempore gravidas fecisset, qui ab ecclesia corriperetur atque eidem reconciliaretur, dignus

nobis visus est, ne quae magno nisu in usum nuper reducta esset ecclesiae censura, in vilia tantum capita et columbas valere, indemnibus corvis, videretur. Sed intercessit familia, occupavitque in tantum virum caetera integerrimum Fridericum Richardum Mockelium meum, ut et civili poenae et ecclesiasticae censurae praepotenti vi eximeretur. Eoque impudentiae progressa est politica fraus atque violentia, ut principem episcopum[228]) novo exemplo constitueret, cujus in manu esset, invito ministerio, reum absolvere, quin imo absolutionem rei flagitiosissimi sine poenitentiae specimine jure suo imperare. Quid non audet dominatus[229]) turbato reipub. et oppresso ecclesiae statu occupatus, dum sceleribus suis immunitatem quaerit Deumque ipsum judicem excludit? Sed frustra est, nam et hic Deus severum se vindicem monstravit, ipsumque facinorosum hominem ecclesiae insultantem, vixdum maritum factum, dejecit, omnibusque membris miserandum in modum tortis, ita ut se mori sentiret et manum Dei experiretur, extinxit, terrore an stupore auxiliaribus suis relicto, incertum. Hoc nempe in negotio magnae meae partes et cum invidia fuerunt, exiguo successu, scilicet ubi reus judicis et executoris personam sibi sumit. Stabit tamen ecclesiae jus suum, cum tyrannidis insolentia sub principis larva ceciderit. Imo et princeps tandem sibi impositum sensit et indignatus, se sceleris alieni operculum fieri. Rectius consultus, veniam adulterii dandi consilium juxta et improbam petitionem repudiavit 16. et 19. No-

vembr., quod non absque divino suggestu factum crediderim. Hanc nebulam sereniora cum antecesserunt, tum pone sequuta sunt, ac filii quidem Gottliebii munus ecclesiasticum ordinarium diaconatus Canstadiensis 23. Februar., qui et mihi bis eodem nomine fatalis fuit, quod 12. Martii primum aggressus, 19 sequente me coram cum benedictione subiit. Postea uxor etiam lectissima contigit Barbara Sauberti mei filia annos viginti nata 18. Julii 1623. Quibus nuptias feci 19. Junii contractas quidem, sed ab illustri convivarum[230]) corona, quam sponsi corolla triplex ab amicis nexa exprimit, haud paulo conspectiores. Auspicatioribus merito Ernesti Saxoniae Ducis[231]), principis incomparabilis literas cum illustri munere 29. April. acceptas praeposuerim, cujus pro ecclesia et re literaria actus, ut vix ulla aetas in hoc ordine vidit, ita nostra nisi maxime aestimet, ingratissima dicenda veniret. Accessit colloquium cum Frid. Würtemb. nostro fortitudinis et prudentiae cum humanitate conjunctae principe admirabili 18. Februar. et continuata cum principe Silvio Nimrod lacteae innocentiae et excelsae indolis propemodum dixerim familiaritas, perpetuaque trium nostrarum Gratiarum gratia, cujus absentiae impatientiam, dum aula Kirchhemii haereret, excursione illuc 27. April. lenii; rediit autem huc aula 27. Julii, abitus an reditus commodo vel damno, in medio relicto. At qui praeteream illustre donum pretiosi adamantis et elegantes literas Sophiae Elisabethae Augustae[232]) conjugis, quae una virili ingenio, litera-

rum, musices et poeseos peritia instructissimo Augusto jungi et claris foeminis nostri seculi inseri chorumque ducere meruit, ad prorogandam et exhilarandam literatissimi principis vitam aptissima. Ex muneris mei partibus praecipua fuit illustris stipendii inspectio. Quod cum laborare praecoci effusaque graduum literariorum collatione, tum informationis etiam mathematicae et hebraeae penuria videretur, utrique recte consultum; sumtibus egenorum cautum est, 13. Junii didactro etiam in duos professores annuo per me collecto, cui Augustus meus 30 florenos, produx Geizigkoffer 10, alii alios pro fortunis suis et humanitate contulere. Nubem vero atram serenitati hujus anni induxit cum mors, quae amicorum selectiorum ternionem abstulit Joannem Conradum Goebelium peculiari elogio laudandum 8. Julii, Joannem Conradum Brodbeccium olim discipulum 18. Octobr. et Fridericum Richardum Mockelium non sine honore saepius nominatum 7. Dec., in cujus solamen Joannes Beermajer Austrius, novus amicus in notitiam concessit, diligentius explorandus; tum coeli cruenta prodigia nunquam impune visa, omnium vero tristissima Sueco-Vinariensium in agrum nostrum irruptio, blando accessu, sed hostili egressu malorum Iliada per infestos nostros auxiliares nobis ducens, quanta post belli hujus exitiosissimi prima initia unquam perpessi sumus, non hominibus, sed oppidis, pagis, villis, vinetis, arboretis, imo etiam pecudibus et jumentis deploranda. Cujus pretium ridiculum juxta et puden-

dum Duttlingae 14. Novemb.[233]) una cavea conclusi, primis capitibus in carcerem ductis [234]), tulere, nominis infamia indelebili. Sed et Sauberti mei luctam cum Philippophilis, Apap [235]) satellitibus, qui nunquam Luthero fidi, nunquam a cuniculis abstinentes, inter molesta numeraverim. Cui consilium nostrum opposuimus, si minus expellendis, saltem territandis vulpibus ex fide nostra debitum. Literaria lucem perexigua viderunt, Summa sc. religionis christianae trigemina, cui splendorem Augusti praefatio contulit, et Genealogia familiae meae, quam liberorum meorum informationi, quod unus inter tot deperdita et oblita poteram, dedi. Anti-Forero[236]) etiam D. Nicolai nostri perficiendo fidam operam et diligentem lectionem contuli. Comitia provincialia 5. Nov. coepta, et in Martium sequentis anni per intervalla protracta, quid rebus calamitosissimis remedii attulerint, dies docebit. Hospitem habui Martinum Henricum Bajeri mei filium 24. Junii, Argentina a moroso paedagogo Mauckio, Orbilio|ne| plagoso profugum, per sesquimestre, placidissimum juvenem, quem 1. Sept. Tubingam ablegavi. Salutavit 29. Apr. Georgius Ulricus Philippi Heinhoferi mei filius, amicitiae paternae aemulus. Joann. Sebast. Tresch in famulitium adscivi 4. Febr. Liceat etiam rebus familiaribus addere catellos duos delicatissimos, Corculum et Fortunatam, elegantis formae ab Heinhofero in locum Adamantis mei catelli fidissimi lapsu perditi dono datos, quibus annum, quo muneris ecclesiastici et matrimonii trigesimum attigi et festivum feci, finiam.

Sequens a quadragesimo quartus et ipse divino munere leniter effluxit, paucis animi corporisque afflictionibus interspersus, quem totum propemodum revisendis Augusti principis et heri mei clementissimi Harmonicis evangelicis jucundissima 53 literarum reciprocatione impendi. Addidit et Sophia Elisabetha conjux 3. Febr. suas elegantias, et Sylvius Nimrod noster in aulam Augustam mea conciliatione admissus idem literarum commercium iniit. Nec leve momentum Joh. Stellae[237]) bibliopolae et typographi Luneburgensis, nobilis viri in rem christianam impensissimi amicitia rebus meis contulit. Domi contra pro loci genio et lentore omnia impedita et suspensa haesere, sacro consilio simoniae vitiis (contra quae 2. Jan. solenni protestatione insurrexi) et politico typho[238]) (quem et ipsum 15. Martii impetii) laborante, quibus haec lemmata 8 opposui: 1) Simonia domestica exesto. 2) Currentes et ambitores abiguntor. 3) Suffragiorum libertas relinquitor. 4) Plura sententiam ferunto. 5) Dissentire citra injuriam permittitor. 6) Uni solvere latam sententiam fas non esto. 7) Diversarum pari numero sententiarum optio principi defertor. 8) Frivola colloquia, scommata et jurgia intermittuntor.

Praeterea:

	Dominatus		Collegium
Ubi est	Nulla vocatio	ibi nullum est	Consistorium
	Temulentia		Consilium.

Ergo:

Ubi nullum	Collegium Consistorium Consilium	ibi ego interesse non possum.

Ecclesiae igitur muniis potius intentus, quam torrenti ἀταξίας obversus, cùm adversa saepe collega valetudine teneretur, frequentiores conciones habui, primamque ad Cor. Pauli epistolam post quinquennium 205 homiliis 9. Aug. absolvi. Non minus impeditam Goebelianae parentationis editionem habui, cujus gratia primum Joannem Stroelinum 16. Apr., post Joannem Zellerum[239]) 4. Junii, demum Joannem Gauckenmajerum 19. Aug. omnes principis alumnos conduxi, nec nisi post octavum mensem magnis impensis eluctari valui, typographo Joanne Wirich. Roeslino post gravem morbum 14. Sept. defuncto. Una actio, utinam tam felix, quam seria fuit cum homine, cujus dignitas nominari non patitur, ad tartara usque et Vejovis commercium cum publicae salutis periculo perdito. Quem ferocientem, cum qui a re publica justi erant, adire nisi molli poppysmo detrectarent, ego divino robore 4. April. aggressus duriter increpui, fulmineque sacro perterrefactum agno tractabiliorem feci, non levi profecto salutis suae profectu, nisi humana consilia ipsum ad devia seculi hujus indulgentia reduxissent. Simularit poenitentiam, mihi officii facti conscientia et repertos sub longa toga histriones homines nihili, abunde sufficit[240]). Successit alia minoris momenti, sed majoris acerbitatis cum hypocrita cornupeta, qui in

amicitia subinde lubricus, tandem bilem omnem cum ingenti supercilio et petulantia infami 17. Sept. evomuit, quem coercere et prostituere cum in proclivi fuisset, multisque cordatis temeritas haec doluerit, vir tamen summae dignationis intervenit, maluitque publicae tranquillitati privatam injuriam condonari, quam ecclesiae insidiatores et cunicularios ex mutua collisione risum lucrumque capere. Unde res 23. Octobr. ita est composita, ut ego morosum et varium hominem omni posthac vità cavendum et vitandum mihi censeam. Addam et tertiam, sed cum sacro pariter et justitiae collegio communem. Rudolphus Schalterus[241]) principis mei alumnus, hoc inscio ecclesiae Campidonensi minister additus ex privata causa publicam fecerat, totamque urbem ita turbarat, ut exitio proxima videretur. Ejus coercendi cum varia consilia agitarentur, iis contraria arte elusis tempus subinde est protractum, et qui autores fuissent principi in seditionis faces animadvertendi, increpiti. Tandem missi ab urbe legati, precibus ut exaudirentur enixissimis pervicerunt. Negotium cum legatis tractandi mihi et D. Bernhardo Planero 29. Nov. est commissum, atque ita confectum, ut spe salutis plenissima illi abierint, eventu, de quo posteriore anno videbimus, lucta sane ea, quae Apapi mysterium totum prodiderit. Dum enim viget ejus dominatus, omnia recta consilia frustranea sunt, nisi Christo vindice praevaleant. Quod idem in legibus sumptuariis (pro quibus impetrandis tanto nisu laboravimus) eludendis vidimus, cum

patrii succi heluones luxus sui exprobrationem aegre ferentes, in exuccum gelidumque ministerium omnem contumeliam effunderent vestesque, quibus parandis annuum, ut hoc fert tempus, stipendium vix sufficeret, majore petulantia an injuria incertum, imperarent, quod tamen et ipsum postea in fumum abiit. Ex laetis hujus anni publica fuerunt natalis puellae principis Christianae Fridericae 28. Febr., et nuptialis Friderici Ludovici comitis Leosteinii cum Anna Sidonia ex Tieffenbachiis baronibus orta 24. Julii, quibus benedixi, privata neptes duae, natae ex filia Agnete, Elisab. Margaretha 29. Sept., filio vero Gottlieb, Christiana Patientia 23. Decemb. Nuptiae etiam Georgii Walteri, Petri generi mei filii, cum Maria Christophori Demmleri amicissimi quondam mei filia, quibus, dum synodus nostra aquam pistillo tunderet, Calvae meae lubens interfui 15. Maji. Delicias fecerunt nepos Johannes Valent. Rüelin et Maria Barbara Walteria neptis per quinquemestre. Ludovicum Hohenfelderum, de quo paulo post, ultimum vidi Esslingae 31. Jan. Hospites honorifici fuerunt: princeps Sylvius Nimrod 11. Martii, Odoardus Stroza comes Italus ob religionem exul 5. Julii, Heinhoferi mei filius Georgius Ulricus 23. Febr., Bajeri filius Henricus Martinus 29. Maji, Josephus Jenischius et Franciscus Koenig Campidonensium legati 29. Nov. praeter variam turbam. Ecquid vero praetulerim invitationi honorificentissimae Augusti benignissimi heri principis mei, qua me dudum desideratum et suae aulae ecclesiasten expetiit et

abbatiae destinavit 12. Novemb., de cujus consilii eventu sequens opinor annus pronunciabit. Cumque idem ad suae aulae diaconatum filium meum Gottlieb vocaret, nec id res nostrae ferrent, Theodorum Flemmichium substitui 1. Decemb. Tristem horum vicem fecere funera ex propinquis Jo. Jacobi Andreae nepotis ex fratre Joanne 9. Jan., cui cum exequias iret vitricus Georgius Esenwein uxoris meae sororius, lapsus momento extinctus est 12. Jan., vir eruditus et in ecclesia sua Botwariensi vigilans; Maria etiam Greinsia vidua cognata. Ex amicis Henricus Wezelius de Marsilia eques, sclopeto fortuito an destinato incertum perfossus 7. Maji, cui sequenti 9 in illustri corona parentavi, Johannes Reischius Austrius 10. April. et Jo. Castolus Hunnius ex Tubingensibus commilitonibus veteranus 8. Decemb. Ex patronis vero facile princeps Ludovicus Hohenfelder jam saepe a me laudatus, nunquam vero si eximia animi bona spectem satis laudandus, planeque incomparabilis, qui seria pietate, excellenti et multiplici eruditione, variarum linguarum usu, admirabili tranquillitate, incredibili humanitate, oeconomiae frugalitate et harmonia, praeter summam prudentiae et experientiae laudem ad summum bonae famae fastigium ascendit, senio tamen et apoplexia debilitatus, vitam difficulter productam tandem finiit 6. Octob. Esslingae, ubi constantis exilii sedem fixerat, septuagenario major, vir mihi aeternum memorandus et salutis meae autoribus ex primis inserendus, cujus nomini et familiae

me obnoxium profiteor[242]). Publica patriae meae calamitosissima fuere, Gallicis armis post Friburgensem[243]) memorabilem pugnam Bavarica ad nos protrudentibus 14. Aug., quae post Philippopolin 30. Aug. deditam diductiora, ingenti tamen nobis relicto damno ad Rheni ripas custodiendas secessere. Comitia interim provincialia 8. Aprilis coepta et subinde repetita totum propemodum annum absumpsere, sed, elusis aut eversis Bellonae injuria consiliis et constitutionibus, parum salutis contulere. Res domesticae cum numerato stipendio, tum Augustana munificentia satis commode habuerunt et creverunt, unde hortum mihi animi laxandi et corporis movendi gratia emere 600 florenis et asturconem alere ausus sum 18. et 20. Nov., quibus cacochymiae, quae sub finem anni sedentarii importuna mihi plurimum fuit, occurrerem. Honorarunt hoc et superiore anno inscriptionibus D. Melchior Nicolai Tubingae, D. Tobias Wagner Esslingae et Joannes Majer Gailndorfi antistites, Levi Sutor pastor Kornwestensis[244]), Henricus Martinus Bajer et Johannes Christophorus Harpprecht juris, Joannes Conradus Brodbeckius medicinae, Joannes Spalt, Joannes Helwag, Ludovicus Schweizer et Anastasius Cellius theologiae, ac Joannes Bernh. Wibel philosophiae studiosi. Dimisi domo Johannem Seb. Fretschium*) puerum lentum 5. Junii suscepique alacrem et ingeniosum Joannem Eberh. Knollium 6. Sept.

*) Cod. B. et a.: Treschium.

Casu notabiliore perierunt incendio Roteburgum ad Nicrum 9. Aug., domus Grüningeriorum avita Winidae 24. Julii et fulmine tactum horreum Davidis Speidelii affinis Canstadii 7. Aug. cum aliis aedibus conflagravit. Ausimne addere ad calcem domestica, columbum meum decennem ex Calvensi incendio elapsum, mirae festivitatis et audaciae, ut cum canibus et catis congrederetur, senio 1. Martii, et Corculum, Augustanum catellum blandissimum lapsu 30. Nov. extinctos, tolerabili totius domus et familiae infelicitatis (si fas est dicere) piaculo.

Quintus post quadragesimum corporis languore et ingenii torpore difficilis mihi magnam partem fuit; nam quae me sub finem superioris anni cachexia corripuit, in Majum usque mensem duriter exercuit, ea tamen alternatione, ut antemeridianas horas laboribus, pomeridianas torminibus impenderim, quibus abigendis cum medicorum consilio acidulas Tainacenses 20. Maji [245]) adiissem frustraque essem, domum Calva 18. Junii revertens lapsu equi sinistrum genu graviter afflixi domique sub exquisitis doloribus ad 23 usque Julii delitui, quo interstitio stomachi vitium utcunque remisit, Octobri tamen mense recruduit, quod malum, cum in vernum hujus anni tempus iter ad Augustum principem meum animo destinassem, omnem meam spem et conceptum gaudium intervertit, sed vicissim incommodum, quod ex legatione Campidonensi infelici et infructuosa haud dubio mihi imminebat, avertit, Initio tamen anni, ut consistorii res magis fulciren-

tur et quartus collega isque Zellerus nobis adderetur, sedulo incubui, indefessoque studio nec facili lucta, quod 12. Jan. probatum erat, 24. Aug. confectum et 28. Sept. absolutum vidi. Postea gymnasii Stutgardiani res confusas et accisas suppletis paedagogis auctisque stipendiis restitui 19. Aug., ac 31. Octobr., barbarie obnitente, in ordinem redegi. Demum alumnis theologici collegii denario numero auctis et victum liberaliorem et inspectionem rectiorem invitis, qui contra sentiebant, impetravi, quae tria quicquid*) mea suggestione procurata, tamen producis nostri autoritati, quae improbos contra ausus perfregit, unice debentur. Non tamen impune tuli hanc ecclesiae navatam operam, immisso in me a Satana primum cane rabido J. J. B. 12. Febr., deinde bove illo, de quo superiore anno, cornupeta 24. August., qui tamen uterque duriter increpitus bilem suam resorbuit, maligni animi maculis post se relictis 28. Nov. Sibilavit etiam coluber, silentio contemtus, quin et Aeolus ipse, cum adversus flaret, cordatis consiliis et monitis cohibitus est, cujus rei scenam hoc aenigmate expressam volui, dum liberior aura detur:

Vespasiani nundinatio, Sejani participatio,
Adyti dominatio, Curiae altercatio,
Arae exinanitio, Aratri exuctio,
Legum annihilatio, Damni extenuatio,
Meliorum praesumtio, Confusionis continuatio,
Populi abalienatio, Est publici status destructio.

*) Cod. B. et a.: quanquam.

Caeterum dum pacis conciliandae consilia Monasterii et Osnabrugae aguntur, et Thornae Poloniae conciliatio trium inter se diversissimarum religionum irrito conatu tentatur [246]), patriae meae res calamitosissimae Gallicis et Bavaricis intense adversis factae sunt, maxime post infelicem Bavaris, cruentam vero Gallis ad Nerolingam [247]) pugnam, a qua uterque miles in nos effusus, immanitatis et perfidiae nullum modum fecit. Cui malo utut remedium nullum coacti ordines provinciales vernis et hybernis mensibus invenerint, constitit tamen, supplicationem 15. Maji indictam coelestem opem supra humanam spem prope miraculosam in messis vindemiaeque insolitam ubertatem, quae tot alendis myriadibus sufficeret, exorasse ipsumque jam oculis obversans excidium evitasse. Natalis hic annus fuit Christianae Charlottae Würtemb. principi puellae 21. Octob., et Rudolpho Augusto ex filia Ag. Elis. nepoti 5. Oct., cui patronum exoravi Rudolphum Augustum Brunovicensem principem juventutis, quocum et Sylvio Nimrodo frequens literarum sub id temporis commercium fuit, fatalis vero Julio Peregrinatio Würtemb. excellentis indolis principi, cujus ad annum 42. memini, Gothae; Matthiae Hoë [248]) magnae et autoritatis et celebritatis theologo Saxonico Dresdae 5. Martii, Jacobo Bernhardo Gültlingio turbini illi, cujus in his commentariis non semel mentio facta, Wittebergae, Erasmo baroni Croneccio hic Stutgardiae et Christianae Patientiae ex filio Gottlieb nepti Canstadii 3. Jan., ex quibus mihi luctus supra

alia funera fuit. Nuptialis etiam Annae Elisabethae ex fratre Jacobo nepti cum Jacobo Hakio, quae patre orbata totis 14 annis familiae meae inserta haesit 10. Octobr., funestus autem thermis ferinis, quae fortuito igne 21. April. jam tertium propemodum totae conflagrarunt. Aulam nostram inviserunt Christianus Palatinus 29. Aug., Wilhelmus Badensis 26. Jan., Maximilianus Adamus Leuchtenbergius 3. Aug., Rodericus Würtembergicus ...., Susanna Palatina 7. Sept., Fridericus Hanovius 15. Aug., Ulricus Würtembergicus 20. Novembr., tum duces et tribuni militiae varii. Scriptionis vacationem mihi invaletudo indixit, quam epistolarum cum Augusto duce et hero meo indulgentissimo reciprocatione compensavi. Pauli tamen Jenischii[249]) senili labori ultimae parti Thesauri animae sui 17 abhinc annis impenso tenebrisque obsito, lucem contuli, magno rei suae angustae subsidio. Suas vero lucubrationes Produx Cornelii, D. Tobias Wagnerus Nuclei theologici[250]), Henricus Efferen Miscellaneorum metricorum[251]); Joh. Conradus Brodbeckius[252]) Triphili theosophici inscriptione mihi communicarunt. Concessere ultro in amicitiam humanissimis literis Fridericus Metsch in Reichenbach et Friesen Saxonis septemviri consiliarius intimus nobilissimus, et Georgius Mundius juris consultus, procancellarius Saxo-Coburgo-Isnacensis. Goebeliani etiam haeredes cista scriptoria elegantis operis nec pretii exigui paternae amicitiae memoriam obsignarunt. Liceat domesticis annum claudere, admissum in familiam Johannem Lud.

Andreae cognatum 10. Jan. indeque Knollium 27. Martii dimissum et alumnis principis insertum, successisse ancillam Mariam Barthiam .... 29. Oct., sed et Augusta missos Amorem et Venerem catellos 20. Martii: quae nugae privatis meis rebus signandis, quas fastidiosus lector facile rejiciat, tribuendae fuerunt.

Quod nunquam exspectabam, sperare vix poteram, hoc quadragesimo sexto currentis aerae anno, qui a Lutheri obitu centesimus, ego sexagesimum aetatis annum implevi, haud quidem insolitum robustae complexionis viris et statae sanitatis, sed mihi tenerrimae et saepius afflictae valetudinis homini et quem intempestiva canicies jam dudum mortis candidatum pronunciasset, inter rariora Dei beneficia numerandum. Caeterum quod molesta illa cachexia per biennium, et quod excurrit, continuet et a civili societate propemodum excludat, rebus insuper agendis inutilem reddat, postquam adhibitae acidulae Tainacenses et thermae Philocellenses Majo et Junio mensibus iterum frustra fuere, de seponendis gravioribus sarcinis et rude ambienda serio mihi cogitandum venit, cujus etsi a pacis restitutione aliquid spei et subsidii affulgeret, impetratio tamen cum ipso pacis munere hactenus producta est. Videor autem mihi illam jure aliquo meo poscere, ut qui, quod in his annalibus meis recensere licet, jam unum supra quadraginta annos reipub. non perfunctorie impenderim, ex quibus 8 formandae juventuti generosae, 6 ecclesiae servitiis, 19 ejus inspectioni et hos postremos 8

annos aulae curiaeque muniis longe gravissimis contuli, nunquam servilius et iniquius quam hac vitae quasi meta mea ab iis, quos minime decebat, habitus. Nec interim a scriptionibus et literario cum clarissimis viris commercio immunis aut otiosus, quibus vel insuaves invidiae bolos, vel adversae valetudinis et insomniae molestias condire sum solitus. Utinam vero, quam indefessum animum nullisque periculis infractum ad restituendas res ecclesiae attuli, tam ejus profectum vel jam experiri, vel sperare posthac per eos licuisset, qui unice hanc operam dederunt, ne quid recte fieret unquam, aut male non fieret, dummodo autoritatis suae et commodorum simulacra, caetera nudi et egeni, sarta tectaque conservarent, cujus profecto poenam Deo, infamiam vero posteritati debebunt. Ergo rerum confusissimarum et turpissimi mancipatus taedio affectus, ingravescente insuper animi morbo, abjecta rerum corrigendarum spe, in hoc totus incubui, ut honestam ab officio missionem impetrarem ac porro liberius Deo mihique viverem. Movebant tot egregia laudatissimorum ex omni hominum ordine virorum exempla, qui coronas, tiaras, infulas, sceptra, fasces, trabeas, purpuram, pedum pulpita, gazas et quicquid humanae pompae et phalerarum est, sponte sua generosissime posuissent, ut religioni, tranquillitati, contemplationi, lectioni vacarent et post tot laboriosae vitae annos vivere demum vel scirent vel discerent. Videbar mihi hoc debere, emeritis jam stipendiis, pro-

fligata aetate, cum effoeto corpusculo meo, tum deficienti memoriae ac vacillantibus animi viribus, debere ei, quae circa me est, agnatorum, amicorum, commilitonum et familiarium solitudini quondam numerosissimorum; debere senio meo, jam visendis audiendisque, nedum tractandis vanitatibus et humanis ludibriis saturo et nauseanti; debere personae, quam per tot annos*) fabulae terrenae non indecenter quondam egerim, mutata scena subrancidae, exoletae et invisae; debere indulgentissimi heri mei Augusti principis munificentiae, per quam nec fames mihi, nec infamia metuenda esset, ut ab iis secederem, quibus jam ante exosus onerique et ad mala peragenda impedimento essem. Itaque patriae principem semper benignissimum et aequissimum mihi adii, ac si nondum plenam eam, tamen liberalem missionem rescripto impetravi 3. Aug. semper mihi fatali, ut quantum per vires liceret, sacris sermonibus in aula defungerer, a Curiae vero curis et consiliis, quoties aegritudo posceret, abessem, monitis saltem piis et salubribus non deessem. Quod etsi in praesentia mihi levamento contigit, quin tamen ad scopum animo meo fixum**) pertingam atque in plenam libertatem sine torpido otio me asseram, pertentare nunquam desinam, ne sub onere jam fatiscens vivere citius, quam incipiam, desinam, nec segnem proinde vitam agam: inveniam cum Deo,

*) Cod. B. et a.: tot actus.

**) Cod. B. et a.: meo profixum.

quemadmodum plus mea quies prosit quam aliorum discursus et sudor. Ubi invidia opprimit virtutes, ecquis neget honestum esse secessum? ubi corruptior res publica est, quam ut adjuvari possit, quis operam emeriti senis requirat? ubi provehendis bonis, arcendisque malis, cum illis virtus fraudi, his scelus pretio est, reliquus locus nullus, frustra niti nonne insaniae species est? ubi favor omnis privatim absorbetur, invidia publica in socium rejicitur, quis foricarius esse solus amet? ubi profectus ecclesiae nulla cura, damnorum sensus vix ullus, futilium perpetuum colluctamen est, an nomen suum commodare bonus quisquam velit? ubi segete Christi neglecta lolium triste excolitur, quam messem fidus agri dominici colonus exspectet? hoc ergo in ore et corde regii psaltae identidem est: desiste a mė, ut recreem me, antequam abeam, nunquam ad hanc vitam reversurus. Aulae nostrae facies hoc anno non parum immutata est Reichardo stabuli praefecto, quod diu minatus erat, 4. Jan. vita functo. Croneccius cubicularius, summo, quod Tubingae est, dicasterio praefectus cum tribus praefecturis suo merito datus, magno sui desiderio mihi relicto, ac in illius quidem locum Münchingius, hujus Goelnizius successit. Produx Geizigkofferus invidioso munere se sponte 2. April. abdicavit, vir magni ingenii et industriae, sed varius ac proinde nunc aequus nunc iniquus, qui tamen res ecclesiae non parum cum voluit juvit, at demum acerbam sui memoriam ... Martii[253]) post se reliquit. Rerum

potitus est Lüzelburgius, flagrantem gratiam Münchingius denuo fundavit. Principi Johanni Friderico morum magister Fridericus Berchtoldus datus est. Hospites nobis illustres fuere cum Johan. Fridericus comes Ebersteinius, Georgius Fridericus et Joannes Jacobus Rupis-Spoletani reguli fratres, hic principis nostrae sororius, tum vel inprimis Leopoldus Fridericus et Georgius Würtemb. Duces, fratres, Ludov. Frid. filii, ex quibus major Montisbeligardi dominus Sibyllam nostram incomparabilem heroinam sponsam sibi faustis auspiciis elegit, domus Würtembergiae redunioni et religionis concordiae insolubilibus haud dubie profuturam[254]). Cum his ab omni eruditione et rerum usu instructissimis principibus familiare mihi colloquium Julio, Augusto et Octobri mensibus non semel fuit. Foris vero Sylvius Nimrod princeps Mariam Elisab. Caroli Frid. Münsterbergii[255]) Ducis filiam unicam propitia fortuna duxit resque suas pridem arctiores non parum ampliavit. Quae utinam meta studiorum et consiliorum fratri ipsius majori p. Roderico nunc hospiti nostro fuisset, nec inexplebilem illam ingenii et judicii vim cum operosae institutionis jactura, nescio quis morbus turbasset, quem dolens coram 27. Octob. sum intuitus. Natalis hic annus est Harmoniae evangelicae Augustaeae gemina forma singulari industria Sterniorum Luneburgensium eleganter excusae, quae ad posteritatem ostentationi aliquando erit. Augusta vero Vindelicorum dura a confoederatis[256]) obsidione difficilem habuit, alvei, qui pomeria ab urbe divi-

dit, obstructione fame civibus et colonis, molendinis et fabricis cessantibus, inducta. Privata mihi fuere optata quidem et laeta Christophori Forstneri Mompel[gard.] cancellarii[257]) amicitia 28. April. contracta, Josephi Furtenbachii[258]) insignis architecti opus nobile dono datum 13. April., et Ludovici Pleicardi Freibergeri generosi adolescentis opera mea in studiis adjuti gratitudo eodem die testata. Sed et aedes geminae contiguae Stuttgardiae 426 praesentibus florenis emtae 13. Aug. mihi sunt. Dura vero et tristia obitus nepotis mei Augusti Walteri tota vita cum morte conflictantis occubitus 25. Martii, in cujus locum nepos Joh. Valent. Andreae 17. Martii natus jam concesserat. At longe atrociore adeoque insanabili vulnere meo finis agonum Joannis Sauberti antistitis Noribergensis Sebaldini 2. Nov., quo in uno quot amica nomina perdiderim, vix charta haec ceperit. Coaluimus 1624. mense Junio Noribergae, parario Andrea Tauchero juris consulto olim Tubingae amico. Inde ingenii excellentia morumque suavitate adeo ille mihi se probavit, ut cum animorum studiorumque consensus accederet, in intimam amicitiam intromiserim, aliis atque aliis quidem officiis cultam, sed quam maxime communibus in rem christianam operis radicatam et firmatam, tandem etiam liberorum Gottliebi filii mei, et Barbarae filiae suae conjugio aeterno foedere et communi sanguine anno 43. 19. Junii sancitam. Fuere autem in hoc viro cuncta admirabilia et rara: eruditio nulli secunda, vita inculpatissima, ardor rei

christianae curandae ingens, labor perficiendis negotiis improbus, patientia in adversis incredibilis, quibus ob invidiam et fatigabatur ipse, et fatigabat aemulos alios, falsos potissimum fratres et pseudopoliticos. Corpus tamen quantumvis victu temperantissimus gerebat omnium fere morborum carnificinae expositum, cephalaeae, cardiae, chiragrae et podagrae, calculo et nephritidi, torminibus et quae aliae ex frequenti medicinae usu accedere solent, fidiculis, quibus posterioribus annis potiorem temporis partem grabato suo et doloris castro figebatur. Confectus tamen diarrhaea est, cum aquas etiam famosissimas Hornhusanas[259]) pridem adhibuisset, recte secusne, medici dixerint, 2. Nov. sub vesperam, magna urbis Noribergensis, majore rei literariae, sed omnium maxima ecclesiae jactura, quicquid etiam invidia nunc in sinum rideat et triumphet, cum nondum aetatis 54 excessisset, nobilibus tamen atque duraturis scriptis vitam haud dubio cum fama producturus. Mihi sane supervivere molestum est, in ea maxime cavea, ubi cum bestiis commissus invidia, quod per se sive non potest sive non audet, illis tamen vel armandis vel irritandis vel subornandis vel saginandis vel fovendis vel excusandis et tegendis ludos suos perpetuos facit, neç indignationem nisi cum vita positura videtur, quam Deo tandem coercendam relinquo. — Non fuit immunis hic annus ab ictibus serpentinis calcaneo Christi insidiantibus, repente cum in aulis, tum rebus publicis, nescio quo episcopatu Constantiniano

novum aliquem antichristum pseudo-evangelicum parturiente. Nam cum vixdum insigniorum delictorum publica deprecatio in ecclesia instituta esset, politicis artibus, ut venalis venialisque iis, quibus nummi essent, etiam nauci hominibus ea fieret, tentatum est. Quod cum pro officio esset dissuasum, tum intumescere coluber et absolutum in ecclesiam imperium jactare, eversionem etiam jurium immunitatumque ejus minitari 2. Martii et 4. Decemb., de quibus Christus ipse viderit. Et haec praeludia sunt nostrae in Christum voluntatis, officii et gratitudinis, dum de recuperandis bonis ecclesiasticis tanto nisu, impendio et tempore Monasterii et Osnabrugae laboratur, ut dum iis caremus, cum fame et infamia conflictandum ejus ministris, receptis vero, sub impotenti dominatu nova tristisque servitus metuenda sit. Ordinum nostrorum conventus Aug. et Sept. mense habitus iterum in fumum abiit Martis crepitaculis dissipatus. Mitior tamen is nobis quam aliis fuit, ubi barbarae immanitatis exempla Isnae, Leutkirchae, Kaufbeurae alibique ad aeternum dedecus duratura, edita sunt. Supersunt quaedam privata, quorum veniam ab aequanimo lectore peto: nempe adlectus sum in ordinem fructiferae societatis, jam ab anno 1617. auspiciis Ludovici principis Anhaltini illustrissimi institutum et ad numerum 433 sociorum[260]) successive auctum, 6. Nov. satagente Augusto principe et hero meo, nomenque accepi Fracidi senio meo et rudi conveniens, cum emblemate Musci effoetae arbori ad-

haerentis et symbolo: Etiamnum viret. Convivas habui Gratias nostras et Calvae in aedibus generi Walteri 1. Julii et hic domi 15. Maji. Rediit ad me nepos Joh. Valent. Andreae puer amabilis 7. Sept. Salarium ex publica ubertate et incredibili annonae vilitate, amphora vini[261]) 5. et 6 florenis, modio adoris 1. floren. aestimatis, satis liberaliter solutum, reliqua ut in rebus luxatis, inter spem et metum acta tolerataque sunt. Dum lenta pacis tractatio animos hominum suspendit, meae etiam rudis petita in partu haesit, nec movendo promoveri difficilimo hoc anno 47 potuit. Paravi tamen mihi in eventum hospitium aliquanto laxius 26. Jan., quod Selenianum[262]) appellare libuit et munificentiae Augustae merito decuit, florenis circiter mille, ubi res meas, ut primum pax affulserit, cum bono Deo seponam et componam, si nemini, mihi certe minus onerosior et plus utilior. Itaque hoc toto anno curiae negotiis parum contuli, ecclesiae tamen pensum sine defectu solvi, collega meo majorem anni partem (a 28. Febr. usque 19. Martii et 11. August. usque 12. Decemb.) curandae valetudini suae impendenti, mea quantumvis afflictiore in sustinentiae et abstinentiae cura relicta. Nec etiam scriptioni praeterquam epistolicae et privatae commentationi multum datum. Una Sauberti mei[263]) Umbra theologica luci exposita, pari amicorum assensu et aemulorum invidia, quae tamen recusionem, et elegantissimos Sterniorum typos meruit. Totus hic annus repetitis comitiis, cogendo et corradendo aere

alieno consumtus est, rebus ecclesiae rejectis ampliusque vulneratis (quod a medicis sive imperitis, sive alienis fieri omnino necessum est) quae plurimum inde laborarunt. Illud enim praeter Bellonae voraginem domus Würtemb. incrementa et hymenaea poscebant, quae post felicem natalem principis Wilhelmi Ludovici 7. Jan. nati et 15. renati, trina, bonis opinor auspiciis, uno vertente anno confecta sunt: p. Nimrodi Sylvii W. cum Münsterbergia 21. April., quam superiore anno sibi desponderat, p. Ulrici W. cum Sophia Dorothea Henrici Wilhelmi Solmensis et Mariae Magdalenae Oetingensis comitum filia 10. Octobr. et p. Leopoldi Friderici W. Mompelg. cum Sibylla nostra Gratiarum Würtemb. minima 21. Nov. vinculis utique ad sanciendam et formandam concordiam mutuam opportunis et quod faxit Deus efficacibus. Sed et ex gynaeceo illustri virgines duae nobiles elocatae sunt: Agatha Margaretha a Ninem Ludovico Sperwerseccio, et Dorothea Elisabetha Utenhofia Wolfg. Theodorico Megezero 11. Octobr., unde hospitum in aula illustrium plena fuere omnia, summa nostra indigentia abundantiam mentiente et annonae pauperiem (quam tamen anni fertilitas utcunque sustinuit) prodigente. Praeter enim domesticos et agnatos hospites Juliades, Rodericum, Manfredum et Florianam Ernestam cum matre Anna Sabina, Annam Wirtembergicam, Palatinas duas, Hohenloios, Solmenses, Rupispoletanos aliosque familiares, Turrenius 30. Mart., Rosa Trassius 28. Mart., Schonbeccius

12. April., Buwinghausius ..., Holzius 7. Maji, aliique belli duces, tribuni et centuriones magno numero nos cum satellitio suo inviserunt, quibus accesserunt varii legati Lunaeburgici 2. Febr., Mompelgartenses 26. Sept., alii, quos indigitasse hic loci sufficiat. Ad privata potius veniamus, quae mihi pauca laeta, tristia plura obtigere. Illa, natales trinae propaginis meae: Annae Catharinae Rüelinae 12. April., sed 20. post Junii extinctae, Mariae Margarethae Walteriae 19. Julii, et Gottliebiae Andreanae 3. Nov., haec, funera frequentiora magni et pretii et amoris et commodi et familiaritatis capitum: nempe Christiani comitis Oldenburgii Delmenhorstii stirpis suae ultimi, Augusti mei ex sorore Sibylla Elisabetha nepotis 23. Martii, magna domus regiae jactura, Philippi Heinhoferi[264]) amici ultra vicennium exoptatissimi 13. Julii, Johannis Wilhelmi Menlinshofii et ipsius nobilis affinis, viri integerrimi 29. Jan., Dorotheae Stettenbergiae gynaecei illustris magistrae, rarae et sacrorum et muliebris industriae foeminae, anus praeclare de domo Würtemb. meritae, Georgii Mundii jure consulti, clarissimi cancellarii Saxo-Coburgici affinis, Georgii Alberti Nerolingensis antistitis quam foris minoris, tam domi virtutis et pietatis fama meritoque majoris theologi, aetat. 47. 17. Novembr., Georgii Conradi Maicleri poetae nobilis contubernalis et commilitonis plus quam quinquagenarii longe suavissimi 27. Martii, P. F. Raumaieri immature nimis ecclesiae rebus erepti 19. Martii, et Joannis Altermanni[265]) pictoris familiaris

mei 9. Martii nunquam sine profundo vulnere et insigni doloris sensu mihi ablatorum, quae sive publica sive mea privata clades non potuit non graviter animum meum percellere, reputantem, quam pauci quam multum, quam contra multi quam parum ad vitae societatis liberaliorem usum, jucunditatem et tutelam faciant, et quos illos perdere, inter hos vero versari diutius quam durum sit et quam tristissimum, ab illis vero destitui et orbari longe acerbissimum. Quam enim vel in solo Heinhofero jacturam fecerim, non facile explicavero, in quo viro praeter plurium hominum et linguarum notitiam multiplicemque artium mechanicarum omnisque elegantiae et subtilitatis peritiam, qua principum multorum amicitias meruit, ea in me fides, is amor idque studium et officium fuit vel chiliade epistolarum testatum, ut cum quo alio amicorum conferam, non habeam, ereptum mihi serio lugeam et desiderem. Sed et morbus, qui conjugem meam a 7. August. ad 6. usque Novemb. non sine vitae periculo exercuit, familiam meam haud parum afflixit, cui sublevandae Annam Justinam Majerinam Noriberg. per trimestre conduxi, filias etiam Mariam et Agnetem Elisabetham in matris solatium adhibui. Lenimenta temporis fuere amicae collationes me domi invisentium, ac vel inprimis illustris viri Galli baronis Racknizii, familiae Saubertinae patroni primarii 12. Aug., [qui,] dum res hic suas cum Ulmensi civitate debitore creditor componeret, plusculum apud nos cum conjuge, filiis duobus et

filia versatur, nec aestimatione mihi minorum Georgii Christophori Sternenfelsii producis Mompelgartensis, et Christophori Forstneri cancellarii, viri sane quam probi, acuti et diserti, Mauritii Croneccii pridem in aula contubernalis, tum Augusta mihi commendatorum studiosorum juvenum, Danielis Goebelii, Johannis Conradi amicissimi olim mihi theologi, Joannis Bernhardi Zechii ...., Herwarti ...., Joannis Matthaei Fabri, Joannis Henrici Bernharti, Georgii Alberti filiorum, ac vel inprimis M. Leonhardi Laurentii jam diu mihi perofficiosi, sive paternae sive suae amicitiae fructus apud me legentium, quos, qua potui fide, utcunque solvi. Sed et Adamus Burger[266]) artis supputandi veteranus hic magister cum sua Barbara Angerina, uterque viridi exacto matrimonii 49 anno jubilaeum festivum suasu meo et conductu habuit, insolito multis et jucundissimo spectaculo, hoc tamen aliis inferiore, quod nullam ex se sobolem, unum tantum ex vita functa filia generum comitem habuerint. Munera elegantiora tuli praeter solenne Augustale principis herae meae strenam, principis Ulrici et nobilis Megezeri sponsalia, principis Sibyllae valedictorium, baronis Racknizii et Tieffenbachii honoraria, singula grata mente ad posteritatem exponenda. Invidia, insidiosum mihi monstrum, semel tantum virus suum palam 15. April. exseruit, domi caetera id vel exspuens vel resorbens. Dimisi ex domo mea Joannem Ludovicum, Joannis Martini Andreae patruelis quondam mei perdilecti filium, famulitio apud me

sesquitriennio amplius probe defunctum et meliori fortunae interea apparatum 3. August., cui successit Eberhardus Kopp rustico ingenio et duris moribus. 20. Dec. rediit ad parentes nepos meus cognominis Rüelinus lepidus puer factis mihi per 15. menses deliciis; 21. Nov. discessit peregre honestissima matrona nobilis Juliana Elisabetha Reichavii vidua, vicina longe humanissima et eo aegrius dimissa 17. Septembr. Nec aliud quid tabulis dignum occurrit, quo annum hunc consignem, media fere sui parte in grabato confectum, nisi hoc addam, novennium jam una mihi Stutgardiae serviliter exactum, quo, quam unquam alias in tota vita mea, nec uspiam alibi directionem minus directam, consilium minus consultum, societatem minus socialem, religionem minus religantem, regulam minus regularem, pretium minus pretiosum, amicitiam minus amicam et operam meam minus operantem fuerim expertus et perpessus, quo etiam toto tempore nec quenquam bene meritum suffragio meo ecclesiae admovere, nec facinorosum ullum criminis sui indicio meo arcere mihi fuerit concessum. Clausit annum 28. Decemb. Paulus Jenischius Antwerpiae 1555*) 17. Junii natus, variarum artium et linguarum, ac inprimis musices peritia excultus, Thesauri animarum vernacula lingua primus compilator, post per annorum intervalla autor, cujus invidiam et alienae culpae poenam, exilium, ut sibi videbatur,

*) Cod. B. et a.: 1558.

amplius quinquagenarium Augusta, aequo animo tulit, Lavingae et Stutgardiae hospitio fixo, quo in hac cum musico stipendio, tum rude satis liberali et amicorum subsidio adjutus, vitam, omnis morbi expers, continua orexi et somni facilitate tranquillam, sed minime otiosam produxit ad nonagesimum usque aetatis annum, 19. liberorum, quorum non nisi 4. post se reliquit, pater, amicus mihi et affinis jam a quadraginta annis plane familiaris et jucundus; quem mense uno antecessit Michael Laminit coaevus, Memmingensis quondam antistes 11. Nov. et ipse nonagenarius, mihi a septennio amicus, hoc nomine minus praetereundus, quod olim A. 1585. hunc nostrum cum Maria Boscharda prima conjuge publice copularit, qua defuncta is Helenam Kellerinam A. 1604. 17. Sept. itidem Memmingae duxit. Die Thomae ad D. Leonhardum aedibus suis proximum honestis exequiis sepultus, vidua hac in re angusta et ob apoplexiae morbum valde afflicta post se relicta, quae sequentis anni 23. Octob. ad mariti latus est deposita.

Annus 48, qui climacterici mei magni initiator, qua animi aegritudines, paucis atratis calculis notatus, leniter effluxit, unde mitior etiam invaletudo fuit, quam curatum Calvam cum secessissem, magis etiam irritavi, evidenti argumento, quiete mihi et abstinentia magis quam alia medicina opus esse. Perstiti tamen ibi civium humanitate delectatus a 29. Maji usque 28. Junii, dum interim gener Walterus aedes, quas pridem construxeram, laxiores redderet. Col-

lega Heerbrandus hemiplexia sinistrum latus leviter tactus vacationem ab officio hoc toto anno quam revalescentiae impendit, domi habuit, cujus vices Zellerus egit mihique astitit, qui hoc decennio absoluto 1040. sermones sacros, quos duos hebdomatim debui, in aula habui, certa probatione, quae interea temporis per invaletudinem aut alia negotia sunt praetermissa, diligentia alia fuisse repensa. Fabulam interea magno plausu 4. et 7. Februar. egit Joannes Keilius[267]) Geerlingensis vinitor, homo protervus, apparitionem angeli geminam mentitus et quinis vitibus cruentatis praestigias faciens, pluribusque non obesae naris ob diras quas minabatur imponens, qui saepius examinatus et auditus, cum lubrice ageret in vincula conjectus et fraudis post alios atque alios lusus convictus, virgis caesus 23. Sept. et ejectus, risu terrorem et absurda multorum judicia finiit. Caeterum pacem tot annis optatam et quaesitam hic annus difficilimo nixu tandem peperit 14. Oct.[268]) nobis nunciatam 21., et 2. Nov. solenni festivitate eucharistica in summo et aulae templis publicatam. Cui adornandae dum in curiam contendo, lubrico pede lapsus[269]), femore afflicto inter dolores domi 18 diebus 28. Octobr. usque 12. Nov. detentus sum. Colligendae vero pecuniae, qua pax redimeretur, rationes hunc totum annum occuparunt, coactis subinde comitiis et a 14. Jan. usque 25. Mart., 16. August. usque 8. Oct., 12. Nov. usque 12. Februar. sequentis anni productis, ubi et obiter de augendo alumnorum prin-

cipis numero 20. Jul. actum, et cum ordinibus 25. August. communicatum, vix tandem post semestre effectum habuit. Effloruere hoc anno duo vitis Würtemberg. palmites 7. Sept. Maria Catharina Charlotta Ulrico principi ex Sophia Dorothea Solmensi, sed quae biduo post matrem multae virtutis principem octidua exaruit, et 27. Novembr. Anna Catharina Eberhardo principi hero quinto post die, 1. Dec. sacro fonte per me tincta, vivacior. Fatalem porro annum habuerunt ex iis, qui apud me in pretio: Agatha comes Solmensis Rupis-Spoletani reguli vidua, jam saepius laudata, 14. Novembr., heroina, praeter oris speciem et ingenii elegantiam multis virtutibus conspicua, de me prosperis et adversis rebus meis praeclare merita, climactericum magnum supergressa, Fridericus Casimirus Chanofzkius et Job Heimant Lente[270]) nobiles, ille hic quidem Stutgardiae 12. Julii, hic vero in aula Augusti Guelpherbütana 23. Decembr., uterque amicitiae fide et longa consuetudine probati, tum Joh. Martin. Eisengrein cognatus et primi tyrocinii ad Regiofontem sodalis Esslingae 26. April. Nec praeteribo Rosinam quondam Francisci Erhardi, et thori et ludi literarii sociam fidelissimam, quod de juventute christiana ad nonagesimum usque aetatis annum egregie meruerit, 24. Martii Calvae defunctam; et Saram Joannis Jacobi Andleri uxorem, foeminam honestissimam, vicinam meam 25. August. extinctam, ac ex curia Joannem Georgium Schmiererum, quem 21. April. mors abstulit. Ex casibus

notabilioribus incendium Aspergi fuit 30. Julii, et conflagratio Wilae[271]) imperialis, quae olim Calvae vicinae insultavit, contumacia sua supra vires accita 20. Octobr. Privata mea satis commode habuerunt, vacatione concessa ab otiosis juxta et odiosis negotiis, quae ut animum percellunt, ita corpus affligunt et dejiciunt. Augustus gemino augusto munere aureo, quorum illud 23. Octob. imago sua cum emblemate Expendentis sive Cogitabundi, hoc 23. Decemb. idem ipse cataphractus 300 florenorum pretii*) suffulsit, cui infinita gratia. Gener Rüelinus filiolo Joanne Ludovico familiam auxit 25. Maji. Nuptiis Eberhardi Anwilii et Mariae Marthae Berstettinae praesente aula benedixi 3. April. non sine munere, et quod ad animi recreationem facit, in notitiam venit, imo amicitiam concessit perillustr. vir Joh. Septimius Joerger baro, plurimarum rerum ac pictoriae artis peritissimus, comite D. Joh. Gablero jure consulto Norico percelebri, et Balthasare Heidenreichio equite Austrio, mense Augusto. Quo etiam tempore ad me confugit Christophorus Gottfrid Pfinzing, patr. Noricus 20. August. ingenuus adolescens, qui praeter excellens ingenium morum modestiam singularem mihi per semestre approbavit, 14. Jan. sequentis anni dimissus. Mutavi ancillam Mariam Barthiam cum Catharina Schedelina 3. Januar.; alui Benedictum Stroelinum per mensem et scholasticae functioni Herrenbergae admovi.

*) Cod. B. et a.: pretii rem familiarem.

Recepi ad me nepotem Joannem Valent. Rüelinum 22. Sept., quae ut lectori fastidiosa, ita mihi ad memoriam faciunt. Aula hospitum illustr. turba frequentissime perstrepuit, ex quibus praeter familiares Würtemb. et Palatinos primarii Turrenius, Duglassius cum tribunis et centurionibus varii ordinis fuere, de quorum hospitalitate sequens annus testabitur.

Annum Christ. 1649, qui Caroli Britanniarum regis indigno supplicio 31. Jan. atratus factus est, spes et actiones refulgentis pacis absumsere, quo mihi 63. aetat. est exactus, remissiore valetudinis afflictione, animi aliquanto acerbiore. Nam et olidus hircus J. J. B. impetiit 18. Febr., et aspis F. K. trisulca lingua per filii latus feriit, et sus lutulenta J. H. C. me commaculavit, omnes impune, nec ullo mei miserescente Ps. 69, v. 21. Interea abierunt cum Jesuitae 9. Jan. a nobis, tum ex coenobiis monachi legatorum Bambergensium et Culembacensium jussu abacti, non sine maleficii infamia, ne quis credat cucullo fidem subesse posse. Mihi vero in lucem nata sunt et Seleniana[272]) Augustalia et Theophilus per 26. annos peregre erro cum minutiis aliis, maxime vero avi mei Jacobi Andreae vita a Levino sutore eleganti carmine expressa. Transtuli etiam in Latium passionis Christi Harmoniam Selenianam, lucem fortassis aliquando visuram. Perstiti interea in ecclesiastae aulici officio, multis illustribus hospitibus praesentibus non tantum Würtembergicae domus, Friderico et Ulrico nostris, Leopoldo Friderico et Georgio Mompel-

gartensibus, Roderico, Manfredo et Martiale Juliadis, tum viduis Ludovici et Julii, ac Susanna Palatina et Anna Würtemb. nostra, atque duabus virginibus Floriana et Faustina Juliadis, sed et Carolo Megapolitano duce, ... marchione Durlachio, Christiano Palatino Birkenfeldensi cum tota illustr. familia, et Cratonis Hohenloii vidua, Duglassio, Rosa, et tribunorum praeter illustres comites turba, Gallo etiam Racknizio, Münzingio, Forstnero cancellario Mompelgartensi, Lansio, ordinibus provincialibus nostris et numerosis ad componendas restituendasque res nostras et transigendum inter Eberhardum et Fridericum fratres Würtemberg. convocatis et conscriptis, cum quorum plerisque familiares sermones miscui. Secessi tamen per aliquot dies a 17. Julii usque 30. Calvam, animi potius quam corporis gratia, ubi in thermis Cellensibus curanti valetudinem Sibyllae Mompelgartensi ejusque marito Leop. Friderico frequenter adfui. Invisi etiam Esslingae claram Hohenfelderi mei viduam vivaci senio superstitem 20. August., et nuptiis Franc. Reinhardi Bettendorfii cum Anna Margar. Sternenfelsia in corona XII. illustr. personarum aulaeque ministerii benedixi. Luctuosa vero mihi fuerunt cum maxime tristis Henrici Hattingii j. d. et Antonii Roesleri affinium meorum prope Oettingam in amne Egra submersio 9. Maji, tum ex aulae contubernio Conradus Schavelizkius[272]) 6. Julii, curiae et studiorum olim socius, Joannes Wilhelmus Kraus 17. Julii, Marcus Hiller cognatus in aetatis flore 11. Martii, Engel-

hardus ex notis ...., Fridericus Krezmajer[274]) paternae amicitiae haeres 12. Junii, Gottfried Kuhorst filius spiritualis longe jucundissimus 20. Nov., Nicolaus Idler vicinus optimus 21. Octobr., quibus Calvae accensendi Josephus Geisel compater 25. Junii, et duo nepotes Rüelini Joannes Ludovicus et Joannes Georgius 11. Martii et 17. Julii (cum hic 25. Maji ante praecipiti post incussos terrores partu natus fuisset) denati. Salutantium et invisentium non exiguus fuit hujus anni proventus; ex notabilioribus quidem praeter Forstnerum, Lansium, Haugium et consimiles viciniores: Isaacus Rumpler ex nobil. Marchionis Badensis familia 22. April., Joachimus Christianus New. j. d. inter consiliarios principis heri mei receptus, per 6. septimanas jucundus hospes 22. Maji., Andreas Berger reip. Ulmanae actuarius 2. August., Petrus Meuderlinus amicus veteranus fama sua celebris 3. August., Daniel Hoser Augustanus 3. August.; ex studiosis vero Wilhelmus Lyserus F. filius, theol. licent. 20. Octobr., Alexander et Joh. Jacobus Mundii, Georgii filii 23. Mart., Joh. Frid. Gruber pictor post aliquot annos redux, quatuor hi sanguine juncti, tum duo fratres Agricolae 3. April., Dietherrus, Picardus, Sax, omnes Norici, Hammerschmid 23. Martii, Silemannus 14. Novembr. et alii, quibus accensendus Valentinus Roether musicus excellentissimus 6. Nov., nec praetermittendi Joannes Henricus Schorkius carmelita, Georgius Zapler, Mathaeus Entel Augustin., et Joh.

Anton. a Popper*) cum Martin Ronnawer ejurata religione ad nos transfugae, tum inprimis Ludovicus de Maji nobilis Gallus, eximiae eruditionis et linguarum peritiae, de quo tamen sequens annus plura docebit. Literis vero convenerunt Georgius Philippus Harstorfer[275]) rarae et multiplicis scientiae exemplum, Joh. Michael Moscherosch[276]) et Joannes Joachimus Franzius, nunquam a facie noti, quibus his illisve post Guelpherbytanum literarum solenne commercium, sive coram sive foras quantum sit impensum, non est cujusvis otiosi vel judicare, vel intelligere; sane quod vegetioribus lusus et temporis fallimentum dici posset, Fracido mihi et elumbi oneri est et temporis maximae frustillationi, ut de amicitiis potius dissidendis**) quam colligendis et fovendis, negotiis seponendis quam conglomerandis rationes mihi ineundas putem. Res domesticae Augusta manu etiamnum suffultae stetere, cui nullam parem gratiam retulero. Neptis ex sorore Regina, quae domi meae per 14. totos annos filiae loco habita cultaque fuit, a nequam fratre Jacobo Balthas. Simonio abducta mihi est 13. Aug., rediit tamen facti poenitens post 15. hebdomadas, cujus interea vices Anna Maria Burgia probe egit. Ancilla Catharina Schedelin viro nupsit, cui Anna Vischerin successit 11. Junii. Et hae sint hujus etiam

*) Cod. B.: Poppen cum M. Konawer. Cod. a.: Poppen cum M. Kornnawer.

**) Cod. B. et a.: dissuendis.

periodi inaniae: quid aliud quam illudentis spei quisquiliae, insidiantis livoris argutiae, oneris molestissimi gratiae, et simulati amoris offuciae, quibus ut finem imponat, Deum ex animo precor, cui res spesque meas omnes, fidem atque innocentiam in solidum commendo, certus, nec fallere hunc, nec falli sub eo unquam posse, caetera cuncta esse fallacia. Atque hic undecennii Stutgardiae exacti terminus esto.

LIBER SEPTIMUS.

BEBENHUSANA. (I.)

Cum mihi ad portum optatae rudis appellere ipsumque jam littus legere viderer, nescio quis ab aquilone ventus retro me in aequor egit, novam agitationem subiturum. Anno namque 1650. jubilaeo, cum tandem de senatu consistoriali constituendo et integrando, scholisque coenobialibus esset serio deliberatum et decretum, Heerbrando sane rudis ex voto concessa, mihi ab aula et curia missio quidem data, sed onus aliud abbatiae Bebenhusanae impositum est, spe facta, si minus sufficiant humeri, ejus in Hirsaugiensem amoeniorem secessum commutandi, quod in me animi dubius suscepi 22. Febr. Melchiori Nicolai vero Tubinga accito praepositurae munus toto undecennio[277]) suspensum commissum, et altero demum anno Georgio Badero ecclesiastae creditum est. Caeterum antequam abirem, Caroli Christophori principis infantis, quem 28. Jan. natum proximo 30. sacro fonte ablui, institutis solennibus inauguralibus, 19. Martii insolitis pompis et orgiis confectis, defungendum

fuit, sed quas subito turbavit improvisa mors sororis Dorotheae Amaliae jam 7. annos natae 27. Mart. et 3. April. in mausoleo depositae, geminatusque dolor parentibus ipsius Caroli Christophori paulo post absentibus abrepti 2. Junii et 10. sequente fratribus adpositi, insanabili vulnere matri relicto, sed documento certo, immodica gaudia et profusos sumtus maximos luctus et poenitudinem pone sequi. Inde data in aula ultima concione, quae numero 1170. fuit, 15. April. et sequenti vale Illustrissimo privatim dicto, Bebenhusium abii 25. April. primamque concionem 28. post habui. Nactus coenobii procuratorem Leonhardum Waldensberger, collegas vero Georgium Lindenum et Jacobum Rothium, oeconomum etiam juventutis Joannem Schmiderum tranquillioris an turbulentioris vitae instrumentis et machinis futuris incertum et a tempore exspectandum, initiis sane quam pro opinione durioribus. Discipuli crediti sunt numero 34., quos nominare libet: Wolfgangus Henricus Majer, Joannes Jacobus Kürner, Georgius Conrad. Schliesnecker, Joannes Jacobus Beck Stutgardiani, Joannes Christophorus Kegel, Philippus Burkart, qui primus diem obiit 31. Jan. 51., Georgius Simon Weitprett, Joannes Georgius Laux, Joannes Jacobus Lang, Gabriel Braun, Joannes Georgius Aichelen, Joan. Jacob. Sennier*) Tubingenses, Christophorus Zeller, Joannes Leonhardus Stuber, Joannes Jacobus Hess,

---

*) Cod. B. et a.: Somnier.

Calvenses, Isaacus Alber, Jos. Elenheinz, Joannes Joachimus Angelin, Georgius Griesinger Nürtingenses, Adamus Salomon Laufensis, Philippus Henricus Hiller Saxenheimensis, Martin Sigwart Lustnaviensis, Georgius Wilhelmus Moseter Breitenholzensis, Joannes Andreas Hochstetter Kircho-Teccensis, Joannes Jacobus Zeller Wildbergensis, Andreas Schmid Oetlingensis, Joannes Conrad. Haselmajer Neobürgensis, Abrahamus Elsaesser Moeckmühlensis, Elisaeus Gerlach Goeppingensis, Georgius Frider. Weinmar Schmidensis, Joannes Frid. Rorbacher Brettensis, Andreas Carolus et Joannes Conradus Rapp Oeringenses, quibus superior locus et institutio concessa est, caeteris pari numero alumnis Blabyrensi coenobio sub abbate Philippo Jacobo Hüttstock et praeceptoribus Michaele Knollio et Joanne Ruffio receptis, quorum omnium incrementis in ecclesiae usum Deus propitius benedicat. Postquam hic consedi amici Tubingenses salutatum advolarunt: Croneccius, Glosnerus, Hoelzelius, Heinlinus, Haugius, Wormserus, Hafenrefferus, Rauscherus, Schmidius, Brodbeckius, Griphius, alii, quos vicissim Tubingae per intervalla revisi, tum peregre accesserunt numerosi hospites, quos recitare sit ingratum, resurgentis ex pulvere, ruinis et fimeto monasterii olim tam celebris et ducatus hujus primarii faciem contuituri, inter quae ego cum Stutgardiam 27. Maji negotiorum caussa, tum Calvam meam animi recreandi 4. Junii concessi, atque in proximo Thainachio principem herum

cum aula salutavi, post 19. Junii Eremum nobilem Eberhardi Würtemb. I. ducis, majorem posteritatis memoriam et culturam meritam, non sine voluptate, villam vero Herbstii[278]) voluptuariam olim mihi inhabitatam vastatam summo cum dolore 25. Maji inspexi. Illic quidem in antiqua turri operis non invenusti vestigia temporis vidi incisa hoc modo: ATEMPTO[279]), inceptum IX82, cui decimo demum anno successit fundatio coenobii S. Petri[280]) Schonbuchiani XIII. canonicorum nobilium Suevicorum, totidemque ex plebe ad numerum sc. Christi et apostolorum, ubi ipse fundator ab anno 1492.[281]) usque 1538. sepultus quievit, hinc Tubingam translatus, rubo canino[282]), qui per ambitum 52. ulnis, 40. columnis innitens est dilatatus, ut fama est, Hierosolymis advecto, in memoriam usque hodiernam relicto. Conflagravit potiorem partem A. 1580 6. Jan., nec restaurationem sperat, filia Collegio illustri Tubingensi haerede in vicem substituta. Haud procul inde ignobilia tesqua veteris urbis Steinbeis[283]) paucis tuguriolis et unico lapide cui IX21. inscriptum indice, superstitibus, rudera monstrantur, quae cum hominum memoriae penitus jam exciderit, memoranda mihi visa est. Jam quae hoc anno mihi signanda veniant, paucis perstringam. Ac laeta quidem praeter crebra illustrium colloquia 17. 27. 28. Jan., 14. 16. 17. Apr., 6. Maji, 7. 8. Junii fuerunt vel inprimis: nuptiae p. Rudolphi Augusti Brunovicensis cum Christiana Elisabetha Alberti Friderici comitis Barbii f. temperatis pompis habitae 10. Nov., soteria

et eucharistica pro confectae pacis[284]) beneficio 11. Aug. publice soluta, cum 5. ante, post etiam 18. Oct. terra movisset, Ludovici Du May nobilis Galli, eximiae virtutis, experientiae et eruditionis viri, ad nostram religionem plenior accessio 12. Maji et hinc contracta arctior conjunctio, Christiani Cassii*) nobilis ex Holsatia multiplici rerum peritia clari legati notitia 17. April., strenui illius tribuni Conradi Widerholdi[285]) per fortunae vices traducta diuturnior amicitia mutuo amplexu renovata 12. Jan., tum natalis duorum nepotum Joannis Eberhardi ex filia Agnete Elisab. 23., et Jacobi Erasmi ex filio Gottlieb 3. Sept.; tristia vero in vicem: Henricae Würt. Ludovici f., Alberti marchionis Onoldini conjugis luctuosus obitus 24. Aug., quam 7. Junii ante in acidulis Thainacensibus salutaveram, Annaeque Würtemb. Frid. f. per 53½ annos innuptae, Ulmae exspirantis 25. Octob., et 5. Novemb. Stutgardiae depositae, ut quaterna funera Würtembergicae domus unus annus exceperit, tum Alberti Weileri nobilis ex aulicis amicis constantioris ... Decemb., Joannis Gloeckleri paedagogarchae, maximi in rem literariam meriti 30. Aug., privata necessitudine et animorum contentione, ac Stephani Geeri 10. Jan. Neopurgens. pastoris, compatris et ecclesiastico munere conjunctiorum, sed et neptis Margarethae Rüeliniae amabilis puellae sexennis 15. Junii, etiam cognatae ex Enzingerio sanguine Rosinae Birenman-

*) Cod. B. et a.: Classii.

nin, virginis 31. Octobr. Domestica etiam in meum usum attexam. Filius Gottlieb sub iniquo censore dura diu multumque perpessus Wangheimium[286]) est translatus 29. Jan., Koppium famulum inter alumnos principis receptum dimisi 25. April., cui successit ex Krezmaieria familia per 50. amplius annos mihi conjunctissima Balthaserus Friderici f., additus Joh. Jacob. Stuberi f. 29. Junii, mutata etiam ancilla Anna Vischerin sponsa 14. Junii cum Anna Maria Erboserina. Rei familiari ob mutatam sedem et translatam oeconomiam, tum dispersam supellectilem parum accessit nisi ex principis herae munere valedictorio et indefessa Augusti munificentia, cui omnem succum et fomitem posteritas mea debet. Morbus jam familiaris mihi inducias subinde mecum sive ex aëris temperie sive victus mutatione fecit firmioremque valetudinem concessit omnibus fortunis praeponendam. Atque hunc quidem in modum Stutgardia exivi, quam 1639. 14. Jan. trepide ingressus, infra metum commodius et tutius inhabitavi, nonnullis quidem procellis jactatus, nunquam vero demersus. Ac aulam quidem supra exspectationem meam faventiorem, fideliorem et faciliorem habui, nulla, quod sancte testari possum, nec dictis, nec factis, apertiore (tectas enim quis evitare speret) injuria, multis contra beneficiis affectus, quibus me debitorem et praeconem profiteor. At curia ejusque sanctior pars, quam spem omnem meam, fidem amoremque destituit, quam innocentiae meae conscia contra contumelias et obtrectationes defuit,

quod ab uno malorum architecto infernali face profectum, in sinu Dei vindicis repositum, aequiore animo tulissem, nisi id cum rei christianae et ecclesiasticae detrimento subinde fuisset conjunctum, hoc unum satana satagente, ne, cum tanto studio, ut disciplina christiana religio*) combinaretur, incumbebat**), obtinerem, sed virulentis sycophantiis supprimeretur, simonia vero, hypocrisis, luxus, dissolutio, lucrum triumpharet, adeo ut in divinis quidem nihil humanius sive inhumanius verius, in humanis vero nihil propius ferino, in alenda et curanda etiam ecclesia nihil sacrilegio similius subinde apparuerit, quae conjunctis bonorum calidis lacrymis, malorum usque ad Christi judicium tripudia hic deposita volo.

---

*) Cod. B.: ut disciplina christiana cum religione combinaretur. Cod. a.: ut disc. christ. religioni combinaretur.

**) Cod. B.: incumbebam.

LIBER OCTAVUS.

BEBENHUSANA. (II.)

Proximus annus visus est mihi faventioribus Zephyris abblandiri remissione laborum et solitudinis amoenitate, cum ad animi tranquillitatem tum corporis valetudinem plurimum conducente, sed brevius quam pro opinione gaudium hoc fuit minusque solidum. Nam quicquid etiam tuta*) timerem, non tamen cavi simoni[ac]as artes, sub anni demum finem retectas, verumque sum expertus, in campestribus armenta et pecudes, in desertis feras bestiasque inveniri. Interim principes, herum atque heram, filiumque Joannem Frid. Tubingae salutavi 2. Febr. et 12. Martii ac propitios habui. Generalem etiam ecclesiarum inspectionem, quam diu declinaveram, admisi 27. Febr. atque inde Tubingensem vicinam 30. Julii primum invisi. At indictis ad 29. April. Stutgardiae comitiis, qualia ab hominum memoria visa non sunt, nempe 120. capitum, cum eo me contulissem, qua animum qua corpus

*) Cod. B.: vocabulo tuta superscriptum habet: fati; cod. a.: etiam fati timerem.

labefactatus sum atque dejectus tristissimae sortis patriae meae, cui periculum parari palam videbatur, intuitu, et mutata victus ratione, quibus senilis languor et debilior corporis constitutio impares fuere. Substiti tamen in meis primum aedibus, sive Seleniano ad 3. Junii, post inter selectiores majoris circuli adlectus 5. usque Julii[287]), ubi redire me domum morbus, publici convictus impatiens, ac ipsa moles patriae calamitatis immensa, de qua posteritas liberius pronunciabit, coegit. Cujus cum delinimentum per vindemiales ferias Calvae quaererem, 30. Sept. afflictior ad lares redii. Repetitis postea comitiis, cum nulla me invaletudo excusaret, quasi ad matris communis et meum funus accitus, comparui quidem 3. Nov., hospitio nobilis matronae Rosinae Reischiae viduae percommodo exceptus, sed recrudescente morbo ita exercitus et tortus, ut reverti 15. ad aegram et ipsam conjugem me compulerit, hospitis filio Joanne Jacobo ob patris quondam cognominis amici memoriam in convictum et familiam suscepto 28. Novembr. Paulo vero antequam abiissem, erupit ulcus a venenato G. L. et J. R.[288]) aspidum morsu (quo nihil astutius, perfidius, insolentius et virulentius excogitari potuit) mihi conciliatum, quod etsi praesenti et subitaneo amuleto sanatum sit, memoriam tamen subdoli facinoris haud dubio longam et inextinctam relinquet; non quod tanti sit a servili et pulverulento ingenio perstringi, aut insolitum pro beneficiis maleficia et amicitiae officiis hostilia recipere, sed quia

cum talibus combinari Mezentianum[289]) videatur supplicium, ubi vivis hominum corporibus cum cadaveribus colligatis una computrescere fuit necesse, doluitque hoc magis, quod ad alienam libidinem, et oblectandum tectum livorem, proritandumque implacabile odium hoc viperarum genimen mihi sit immissum, cujus vindex Deus esto. Funestus caetera hic annus mihi fuit sociorum variae aetatis et amicorum selectiorum notabili clade illata; nam puerilis fuit Daniel Moerlin sub uno praeceptore vitrico suo Georgio Oswaldo Regiofonti, qui novercante fortuna miser obiit. Juvenilis vero Jacobus Zellerus, vir immobilis, 74 annos natus, 17. Decembr., Philipp. Jacobus Hüttstock abbas Blabyrensis quadriennio minor 27. Aug., et Joh. Meuderlin 24. Julii, provectioris autem Joh. Martinus Majer Crusianus 12. Sept., privatae insuper familiaritatis et literarii commercii facile primus Andreas Reinhardus Augustae actuarius, magnae in me vir fidei 19. Oct., proximus huic Petrus Meuderlin[290]) de re literaria meritissimus 21. Maji; dehinc Joannes Georgius Wibelius Hallensium antistes, insignis theologus 25. Octobr., inde Lucas Schickart ingenio magno fratri Wilhelmo non dispar 24. Sept. Ex primariis fautoribus sublati mihi sunt: Franciscus Christoph. baro Tieffenbachius, ultro in amicitiam meam Noribergae pellectus 20. Maji, Caspar Lerchenfeldius magnus quaestor Würtembergiae 20. Maji, Andreas Burkhardus cancellarius noster 24. Junii, et mira morum facilitate seniique ad 80. annum pro-

ducti tranquillitate Marcus Dolmetsch 14. Maji, quibus omnibus praeferrem Abrahamum Hoelzelium septuagenario majorem, saepe in his commentariis notatum, utriusque fortunae nobile speculum, nisi simulatam vita amicitiam saepeque variatam lubriciore exitu finiisset 20. Maji. Addam duas honestissimas matronas Barbaram Brentianam, Felicis Bidembachii viduam octogesimum quinquennio supergressam 26. Aug. et Magdalenam Orthiam 20. Febr., notas mihi, cum nepote meo Jacobo Erasmo Gottliebii mei filiolo 27. Martii extinctas. Augustae Planus quidam cum Deo hominibusque diu illusisset, plura hujusmodi machinatus, morte, cui imponere non potuit, interceptus est 6. Julii; cujus alastorem aliquem, cum proterve mihi oppederet, oppido contrivi. Goeppingae etiam vipera sibilare desiit 30. Oct. Recreationum omnium instar fuit Augusti, solis mei, et illustrium Brunonii coeli luminum serenitas et calor 75. epistolis, quae jam ad numerum 900. accedunt, lautiisque testata, quibus patriae meae frigidas nubes temperavi atque adeo in procinctu jam eram a principe meo impetrato, ut toties invitatus, sisterem me tandem tam beneficis astris[291]), cum me sive fortuito sive fatali casu morbus inopinato dejecit, domique invitissimis utrinque nobis detinuit. Lenimen tum desiderii mei accepi imagines Augusti senii, et virginalis venustatis filiae Sibyllae Ursulae ad justam corporis staturam affabre depictas, inter cimelia habendas, 11. August. et 7. Septembr. Nata etiam Würtemb.

princeps Eberhardina Catharina[292]) 12. Aprilis et ejusdem 17. renata, ac mea neptis 21. Anna Margaretha Rhüelina 5. Aug. inter laeta numeranda veniunt, reliquum perillustris comitis Castelli Wolfg. Georgii magni, curiae nostrae[293]) magistri saepius perspecto favori, et invisentibus amicis atque studiosis, quos numerare longum foret, inprimis vero Augustanis legatis Thomae Hopfero, et Michaeli Müllero, tum ingenuis adolescentibus 8. ad*) me divertentibus 26. Octobr. et 8. August., me debere profiteor. Stuttgardiae solenni pompae lustricae Turcicae puellae**) lubens interfui. Renatam bibliorum Paraphrasin L. Osiandri germanicam typis Stellarum Luneburg. elegantioribus exscriptam, cujus hortator et obstetrix fui, laetus aspexi, plausu foris exceptam, domi, ubi primum nata et tenere olim habita, frigidius admissam. In schola nostra translatis Tubingam Carolo, Weinmario, Weitbretto, Kegelio, Lauxio, Mosetero, Braunio, Hochstettero, Gerlachio, Elenheinzio, Schliessneckero, Griesingero, Rappio, Stubero et Sigwarto successere: Balthasar Daur, Joannes Wolfg. Dieterich, Joannes Sebastian Feurbach, Hieronymus Braun, et Joannes Bernhardus Beurlin Tubingens., Joannes Christophorus Stierlin Walpachens., Michael Schlaich Lindaviensis, Lud. Ehinger Kirchhemensis, Gustavus

---

*) Cod. B. et a: 5. ad.

**) Cod. B. et a.: puellae: cui Christinae Catharinae nomen datum est.

Bernhardus Weinlin et Joannes Michael Hofmann Neostadienses., Joannes Georgius Habelshover Bahlingens., Georgius Christophorus Geer Bulacensis, Samuel Justus Biberstein Oberessling., Joannes Jacobus Bub*) Wildperg., Ulricus Polycarpus Steudlin Backnangens., Joannes Balthasarus Schubin Marpac., Joannes Georgius Bürker Wermbrechthusanus, et Feurbachio apud suos morte praevento Fridericus Jacobus Merxlin Nellingensis substitutus. In familia mea parum est mutatum, restitutum parentibus nepotem Joannem Val. Rüelinum 7. April. recepi, 18. Octobr. famulum Stuberum post annum et quadrantem ejus mutavi cum Antonio Jenischio. De insolita et ominosa aquarum eluvione mense Januario, et anni fertilitate alii dicant, me taedium tenet**) toties iteratis imparibus et indignis luctis, ubi in caveam conjecto et cum bestiis commisso vincere sit inglorium, vinci vero dedecorosum. Nam ubi judex est obnoxius, laedentis nequitiam in laude et artificio poni, laesi vero innocentiam haberi deridiculo, et quicquid obtineat, maculari, ut semper aliquid haereat, experimento didici; unde mihi in votis supremis, ut rude impetrata inter vitae negotia et mortis diem spacium aliquod intercedere possit.

Horret animus, reminisci eorum, quae annus sequens 1652. dura diraque mihi intulerit, ubi caveae inclusus et subjectus ferulae ab insolenti supercilio

---

*) Cod. a.: Buob. **) Cod. B. et a.: tenet ex.

et petulanti lingua misere vapulavi, tacito livore, hostili odio et turpi ingrataque desertione*) satagentibus et hanc fabulam potissimum ludentibus, duravitque haec rabies usque ad 22. Martii, qua sese in cavea ad insidias recondidit, per occasionem quoties libuerit, eruptura, apparuitque sine etiam haereseos culpa bona opera iis esse exosa, qui per maleficia non ad coelum, sed occupanda terrarum gubernacula contendunt et grassantur, ubi bonis viris et civibus, quorum virtus est formidini et exprobrationi, paratum est certumque vel exitium vel exilium. Aeger ergo animi, cum corporis etiam morbo totus dejicerer, secessi Tubingam curandae valetudinis causa 4. April., exceptus liberali hospitio matronae**) Joanniae a Mundelsheim a tribus successive Gültlingiis viduatae, ubi in Apollinis sede (quod mireris) nec medicum nec medicinam reperi, domumque re infecta 13. ejusdem redii, indeque cum difficili morbo luctatus, vitam inter intensionis et remissionis vices utcunque protraxi. Interea academiae Tubingensis[294]) sive reformatio sive restitutio magno molimine suscepta, suppletis aliquibus professoribus sacri potissimum ordinis, quorum doctorali inaugurationi dux ipse cum illustr. gynaeceo et aula interfuit 4. Junii, remotisque nonnullis, adlecto in rectorem principe Joanne Friderico 9. Maji, constitutisque salariis et nomine Eberhardinae acade-

*) Cod. B.: desertione rerum suarum.
**) Cod. B. et a.: nobilis matronae.

miae renovato, res finita Junio mense typisque publicata est. Quaesivi et ipse ab hisce legatis malorum, quae claustrum hoc premebant, remedium, sed frustra fui et remissus eo, ubi in ulcere potissimum anguis haerebat, caeteris, quorum intererat communi causae cavere, altum stertentibus. Aug. mensis 29 vocatus ad synodum ex officio infelici, sane fato Stutgardiae comparui, ubi sive aëris sive victus ratione mutata, sive violenta corporis jactatione morbum meum adeo exacerbavi, omnem valetudinem destruxi, ut domum redux 9. Sept. in hunc usque diem, qui 18. Januar. est, vires resumere minime potis, aut sacris vacare muniis per natalitia solennia fuerim. Miserum profecto est ab omni propemodum humano nutrimento abstinere, paucisque de die horis sibi et laboribus vivere, cetera per dium per noctemque cruciari, solitarium et non nisi ab observatoribus septum, nulla sive animi ab amica conversatione vel artificum operis, quibus sum innutritus, recreatione nec solita mihi exspatiatione reliqua. Fuere tamen mihi aliquot invisiones et honorificae et jucundae, ac vel inprimis principis Antoniae[295]) Würtemb. cum comite Stollbergia et nobili comitatu, cui etiam Widerholdii tribuni uxor interfuit 5. Junii; secuti Robertus comes Mandevilius Anglus cum Hieronymo Heinhofero conductore 25. Junii, Münchingius 11. Martii, Goelnizius senior 2. Mart. et 27. Maji, Flemmingius Movius 4. Junii, Welwartus 13. Junii, Croneccius 21. Junii, Bork 17. Octobr., Goelniz junior 28. Octob.

et 11. Dec. et Güültlingia 25. April, nobiles; literis vero et aliis ornamentis clari: Freinsheimius meus Argentinam revisurus cum Berneggero affine 4. Junii, Schmidius magni patris intimique mei filius 21. Junii, Scheler 2. Maji, Schoenemann 9. Junii, Kirchher 12. Junii, Bensperger 1. August., Lotter 19. Augusti, studiosi, Schimelius Asiatica peregrinatione notabilis 31. Martii, Widmannus diu notus et probatus 11. Martii, Rottnerus cognatus 14. Aprilis, Rothius affinis 6. Octobr., Gerlachius Gedano redux 16. Octobr., Schwarzius et Speidelius Stuttgardiae et Canstadii consules 19. Maji et 19. Aprilis; Megenhardtus multorum annorum amicus 29. Junii et 28. Nov., D. New et Müllerus principis consiliarii 17. Nov. et 13. Junii, Krezmajer et principis architecti 7. Febr. et 15. Julii. Tum ex vicinia Haugius, Wormserus, Brotbeccius doctores, ac pro officio D. Philgus caeterique superintendentes concrediti: Lyserus, Abelus, Helwagius, Honoldus pastoresque alii cum numerosa studiosae juventutis turba, quibuscum multum fastidiosi temporis est consumptum. Angorum tamen dolorumque lenimentum juxta levamentumque summum atque unicum fuit Augusti mei perennans gratia literariae reciprocationis nunquam interruptae ad 527 usque epistolam manu sua, invitis etiam caligantibus oculis, pertinaci continuatione, munificentia incredibili, comitate inaudita, condita ope etiam medicam per archiatrum suum D. Wendelinum Sybelistam testata, quorum illud animum recreavit, ista focum a parce,

lente et sordide soluto stipendio frigidum instruxit, haec corpori non infeliciter consuluit. Addidit dono elegantis formae et mirae agilitatis cantherium 16. Sept. et contra molossum anglicum a principe hero meo 26. Maji dono datum perhumaniter accepit. Accessere etiam principum juventutis Brunoniae utriusque sexus indulgentissimae literae, jam ad duas novas centurias una cum Würtemb. brevi lucem visuras, progressae, cujus ingentis et insoliti favoris nutrimentum*) cimelium aureum pretii 360 floren. in familia mea cum nobili unione principis Sibyllae Ursulae donativo extare volui 3. Octobr. et 7. Maji. Nec defuit etiam cum coram tum literis perillustr. Castelli comes magnus, curiae nostrae magister, favore autoritateque sua, etiam de natali meo 67. humanissime mihi gratulatus 24. Aug. Viderat etiam pro munere suo afflictiones nostras et querelas audivit praepositus Stutgardianus[296]), aeger tum ipse corpore, suasque partes interpositurum in se recepit, nullo hactenus nostro allevamento, irritatis vero magis magisque animis alienis malorumque fabricatoribus. Ac mihi quidem haec claustra et arida tesqua, ubi coelum iratum omnes injurias exonerat, averno persimilia videntur, ubi sub truci immobilique Rhadamanto et latrante Cerbero flagellent Furiae, Sisyphus rotet saxum, Prometheus pascat vulturem, Tantalus vero epuletur, nemini nisi tortoribus bene sit, et impune agere liceat, sed de

*) Cod. a.: munimentum.

rebus suis turpiter interversis et familiae suae ca lamitate J. C. vindex ipse viderit Ps. 2. v. 5 et 9. Inter haec suppleto illustr. stipendio in alumnorum nostrorum locum 1. Zelleri Stutg., 2. Angelini, 3. Zelleri Wildb., 4. Aichelini, 5. Langii, 6. Beckii, 7. Hilleri, 8. Hessi, 9. Schmidii, 10. Salomonis, 11. Kürneri, 12. Somnieri, 13. Elsaesseri, 14. Haselmajeri, 15. Andleri, 16. Rohrbacheri, 17. Majeri, 18. Daurii, 19. Dieterici, 20. Stierlini, 21. Ehingeri, 22. Schlaichii, 23. Bibersteinii, 24. Weinlini, 25. Geeri, 26. Steudlini, 27. Brunnii, 28. Bürkeri, 29. Habelshoveri et 30. Schubi, substituti sunt Blabyrae quidam 1. Eberhardus Kapp*), 2. Balthasar Schelling, 3. Wolfgangius Hermann, 4. Abrahamus Breunlin, 5. Joannes Petrus Biber, 6. Joannes Andreas Pfaff, 7. Joannes Christophorus Lieb, 8. Georgius Fridericus Bub**), 9. Elias Banzer, 10. Theophilus Wolf, 11. Wilh. Christ. Stein, 12. Daniel Breuning, 13. Theodorus Sattler, 14. Joannes Jacobus Bader, 15. Georgius Christophorus Schneider, 16. Philipp. Wolfg. Henr. Schuppart, 17. Joannes Jacobus Niethammer, 18. Antonius Datrin, 19. Alexander Hoelderlin, 20. Gottfried Niethammer, 21. Lucas Osiander, 22. Joannes Conradus Zeller et 23. Jo. Ulricus Mohr; aliunde vero 1. Theodos. Goebel, 2. Joannes Ulricus Brastberger, 3. Joannes Jacobus Volmar, 4. Salomon Meier, 5. Thomas Richter, 6. Joannes David. Wagner et 7. Andreas Kreidenmann,

*) Cod. B. et a.: Kopp. **) Cod. a.: Buob.

quorum in pietate et studiis profectus ecclesiae olim auspicatos esse ac salubres Christus faxit. Wagneri filii occasione pater Joannes Jacobus in memoriam et amicitiam rediit 19. August., triginta abhinc annis Ch. Besoldi tunc mei amanuensis, comitum Hoenloensium Pfedelbachensium curiae director, a quo D. Christoph. Assumi cancellarii Hohenloici diem emortualem 5. Nov. superioris anni, vitamque a filio Cratone erudite depictam accepi, viri ingenii incomparabilis et mihi amicissimi; Kreidenmanni vero, quod pronepos ex fratre esset D. Joannis Conradi Kreidenmanni venerandi et magna laude meriti senis, syndici Esslingens. integerrimi notitia et amor ad 45. annos protensus renovatus est, crebrioribus inde literis et animorum desideriorumque consensu cultus, quibus in cumulum accessere Nob. Harstorferi, Moscheroschii, Frischmanni praeter summatum theolog. Dilgeri, Hülsemanni[297]), Calovii[298]) literas et Furtenbachii, Marstalleri, aliorumque dulcia alloquia gratissimae elegantiae; nec tacenda venit generosa virgo Margaretha Maria Buwinghausia Sappho nostra[299]), quae cum viris jam in luce libero ligatoque sermone vernaculo de palma contendit, meque olim patris amicum, alterum patrem habere minime dedignatur. Funera hujus anni familiaria infrequentiora fuere minusque acerba. Unum prae caeteris luctuosissimum et memorandum Lev. Sutoris, cujus incredibilis ingenii vis et multiplex eruditio ferme semper latuit, sive infelici fato suo, sive quod surdaster esset et cum adversa

valetudine conflictaretur, quem, postquam mihi innotuit, conciliavi Augusto meo, cujus harmoniam evangelicam in latium transtulit, addiditque psalterium vario carminis genere, qua pollebat vena, eleganter expressum liberali stipendio, unde e rebus angustis emersit, a principe adjutus. Obiit maximo meo dolore 25. Februar. annos 55. natus, vita longiore et mitiore fortuna dignissimus, cum paulo ante de inani nuncio mortis meae esset gavisus mihique gratulatus. Vir de me et familia Andreana praeclare meritus. Versus libet adscribere:

Jam semestre fuit, cum de TE fama ferebat,
  Andreium fato decubuisse suo.
Moerebam dictisque fidem nunquam aegrius hausi,
  Fama tamen mendax haec Tibi vita fuit.
Hoc est, quod festa hac gaudemus luce Valentis,
  Proque Tua laeti vota salute damus.
Si quid vota valent, longum, mihi crede, valebis,
  Qui volo TE longum saepe valere mihi.
Lividuli valeant, procul o procul inde facessant,
  Fingentes capiti saepe maligna TUO.
At Tu vive vale, sed non quo nomine manes,
  Quorum hac in vita porro nec usus erit.
Vive aquilae senium semperque valentior exi,
  Robur et ex annis sume vigore novo!
Sera mihi de TE sit fama aut falsa fuisse,
  Idque det aeternum qui fuit, est et erit[300]).

Fatum implevere alii: Fridericus Losetus*) 19. Febr., Joannes Frid. Sellinger 5. Maji, Ludovicus Kleinbub 31. Julii, Marcus Imlin 31. Aug., Daniel

*) Cod. B.: Loshetus, Cod. a.: Lohetus.

Hauff 4. Octob., Jacobus Schill 19. Decemb., Abrahamus Schwarz 31. Decemb. amicitia, necessitudine, affinitate conjuncti, diversis elogiis nuncupandi, ex cognatis Lucretia Gruberia cum nuru 31. Decemb., ex domesticis Maria Barbara Rüelinia neptis 23. 11. Aug. nata, 1. Sept., cum 22. neptis Maria Barbara Elisabetha Andreana 13. April. ante lucis usuram accepisset. Publica fuere praeter messis et vindemiae insolitam ubertatem, unde nimia annonae vilitas, incrementa domus Würtemb. ex 13 palmite foecundae arboris felicissimo Frid. Carolo 12. Sept.[301]) nato, et 13. ejusdem renato, nuptiisque auspicatis principis Manfredi Würt. cum Juliana comite Oldenburgensi Delmenhorstia 31. Octobr. consummatis, principis vero Friderici cum Clara Augusta Augusti mei filia secunda in ver proximum magno utrinque desiderio destinatis. Eluvies aquarum noxia 2. Julii exundans ecquid mali portenderit, et an impune spectata stella nubila insolitae magnitudinis per Dec. mens. coelum pervolitans, certius tempus quam astrologorum divinationes et rixae edocebunt[302]). Nos, comitiis Ratisbonae indictis, ad quae patriae princeps Decembr. cum illustri comitatu concessit, pacata consilia et bonae fidei parta cum religionis firmamento et incremento piis votis precemur, caetera duriuscula facile toleraturi. Addam privata mea, sed quae vel delicatus lector vel morosus pertranseat. Inspexi pro officio ecclesiam Tubingensem 20. Julii, arcem vero ibi post illatam cladem penitius 5. April., salutavi in occursu

principem Susannam Palatinam in me beneficam 11. Maji. Dimisi e convictu Joannem Jacobum Reischium nobil. 1. Martii suscepique in locum Davidem Speidelium 12. Maji et Joannem Pflegerum, quem parentes Augustani ipsi adduxerunt 1 Julii, quem tamen 15. Nov. in aliam domum transtuli. Antonium etiam Jenischium hactenus famulum patri suo reddidi 12. Mart., Annam Mariam Erbserinam ancillam domo emissam 6. Februar. cum Elisabetha Schnauferina 2. Junii permutavi. Nepotem Joannem Val. Rüelinum triviali scholae Tubingensi credidi, praeceptori Schabhardo primum 4. April., dehinc D. Wormsero 30. Junii, hospitium victumque praebentibus. Delicias mihi fecere duae neptes Walterinae, major Barbara Maria 23. Julii per 12., minor Maria Margaretha lepidissima puella a 7. August. per 8. septimanas. Cistam scriptoriam emi rarissimae artis magnique pretii, aliamque capsam minoris formae a virgine Buwinghausia dono accepi, quod eleganti translationi libelli de tranquillitate animi [303]) obstetricatus fuerim. Liberi mei, quorum crebra fuit per hunc annum morbidum officiosa invisio, scipionem argenteum dono dederunt senectutis fulcimentum, nec tacendum est munus Postillae emblematicae Saubertinae a familia ad me missum et larga Dei benedictio, qua res familiaris non mediocriter crevit, quae obiter indicasse mihi meisque ephemeridum loco sufficiat, fastidioso lectori facile praetereunda. Ecquis vero imber lacrymarum satis eluat dolorem, quem ex metu calamitatis

posteritatis nostrae cervicibus incumbentis merito concipimus, cui ex contagio ferrei, in quo viximus, seculi triga malorum atheismi, barbariei et servitutis bipatentibus portis immittitur, ut rebus quasi pacatis et restitutis internecino bello se involutam et religione juxta regioneque destitutam brevi sit visura, immani luxu intima viscera depascente. Inde tam faciles illustr. personarum crebraeque ad Babylonem defectiones[304]), intempestivae acerbae theologorum rixae curiosaeque velitationes, machinationes pro asserenda tyrannide, unde ecclesia in vinculis ejusque bona sub hasta, patriae moenia dejecta, aggeres perfossi sepimentaque rupta, aes immane alienum superioris seculi improbo luxu contractum in accisas et exutas nepotum reliquias devolutum, leges militares formulaeque forensium loco, et exactiones dirae, tum usurae execrabiles atque nundinationes nocentissimae palam immissae, ut jam de religione nostra evangelica sive Lutherana quid dicamus, vel potius non dicam, invenire non sit facile, cujus theoria quidem limpidissima, praxis vero lutulentissima est, doctrina integerrima, vita corruptissima. Praeceptis non alia rectior, usu distortior, institutis innocentior, delictis culpatior, nulla forma elegantior, tritu aeque rugosa, legibus comta magis, consuetudine aeque maculata, regulis est maxime stricta, indulgentia nimis liberalis. Verbis sacra confert, iisque abstinet religiose, opere ea aufert, iisque involat sacrilege, compositissima omnium, laudatissima, dissolutis-

sima, undique infamis, confessione cordatissima, professione turpiter vecors, cum qua credere tutum jucundumque sit et salutare, vivere periculosum, triste et conscientiae durissimum, cujus culpam omnium praesentissimam infictitiam eam fidem nullibi fructificantem (non vivificam illam, quae Christi merito nixa sine ullo opere et justificat et salvat) sacramentorumque profanum et meritorium usum rejiciendum putandum est, maxime ubi coeci et claudi (2. Sam. V. v. 6,) et personata idola sunt murorum Hierosolymae custodes et defensores aut pro lucello privato modico publica res et universa negligitur, deseritur, proditur et traditur, salvis interim rebus pactis et juribus, admirabili plane et inaudito privilegio, ut, quam salva pietate violare sacra, salva vita interimere obvios, salva pudicitia vitiare virgines, salva sobrietate mero inebriari, salva reverentia furere et debacchari, salva libertate mancipari carceri, salvis fortunis ire nudum in exilium liceat, ita aeque bonum et honestum censeatur privare bonis suis et exlegem vivere atque agere salvis privilegiis.

Restat, ut hunc annum mihi qua animum qua corpus calamitosissimum Augusti Phoebi mei laudibus meritissimis sine fuco et fastu finiam, utpote cujus luce resplendens, calore fotus, virtute vegetatus, et imbre irrigatus, adversa cuncta e pertulerim et mitigaverim, quod mihi oculorum oblectatio, aurium modulatio, cordis recreatio, spirituum resuscitatio, servitutis retributio, agoniarum refocillatio, angustiarum dilatatio, indigentiae susten-

tatio, solitudinis contemplatio, desertionis sufflaminatio, disgratiae compensatio, depressionis sublevatio, et pervigilii meditatio, dolorum mitigatio, suspiriorum consolatio, desideriorum impletio fuerit aeternis praemiis coronandus, a posteritate vero mea immortalibus encomiis praedicandus[305]).

Heu quam invitus accedo ad describendam Iliada malorum hoc carceris mei anno quarto exantlatorum, quo animo aeger et corporis cruciatu afflictissimus ea tuli, quae nisi in insulas deportatus, aut ad remos vel metalla damnatus, vel cum bestiis in cavea commissus, intelligere aut misereri nemo didicit, scilicet emergentium novorum hominum insolentiam, aemulorum vindicias, amicorum desertionem, sociorum perfidiam, clientum oblivionem, ministrantium fraudem et supra omnia sordidissimi hominis impotens imperium. Hinc a 25. Decembr. superioris anni ad 27. Mart. sequentis obeundis ecclesiae muniis impar, domi inter vitam mortemque luctatus. Nam cum hoc unum agat Apap, ut ecclesiam Christi evangelicam, mutata dominatione Constantini in episcopatum Constantini, superstitione scilicet in impietatem enervet, exuat et conculcet, egregium hujus arcani ministrum hic invenit L. W.[306]) procuratorem, scriniarii filium, hominem juvencum et crudum, sed ex fallaciis, mendaciis et aucupiis totum quantum consutum et compositum, cui uxor cultrarii filia, vere novacula, vel verius vipera, quae 18. Septemb. in furorem erupit, per quos omne iniquitatis mysterium est abunde exse-

cutus. Accessit paedagogicus fastus et astus, cui in turbanda societate humana et tranquillitate mentis nihil par est neque secundum. Secessi igitur Calvam 19. Julii medicae opis quaerendae et animi levandi ergo, lectica vectus, quam Augustus meus spe, ut ea ad ipsum demigrarem, munifice submisit 8. Julii, sed quam heu aliam et nimis deformatam atque distortam reperi. Nam in concordiae locum simultates et partes, modestiae luxus et insolentia, laborisque otium et fastus successere, pietas vero, obsequium et juventutis cura palam elanguere. Redii ergo ultimumque valedixi 31. August. animo juxta corporeque nihil recreatus, postquam tamen 25. Julii repetitas nuptias semiseculares essem comitatus, ipseque 2. August. anniversarium matrimonialem 40. cum meis fecissem festivum. Mutata est interea scholae nostrae facies, et translati omnes alumni in stipendium Tubingense 25. Julii, substitutique Blabyra quidem 20.: Joannes Jacobus Ketterlin, Joannes Henricus Oelmajer, Joannes Thomas Schmid, Christianus Fridericus ab Hausen et Joannes Fridericus Schwele Stutgardiani, Joannes Daniel Reinhard et Joannes Bantel Schorndorfenses, Joannes Frid. Hochstetter Kircho-Teccensis, Joannes Michael Silcher et Joannes Conradus Rieger Winnedenses, Christophorus Caspar Haupt et Michael Braitmajer Herrenbergenses, Elias Zeiter Nürtingensis, Joannes Gerhard Ramsler Wertheimensis, Joannes Philippus Zais Canstadiensis, Joannes Jacob Doerner Nagoltensis, Elias Zeiter Bah-

lingensis, Michael Müller Wildbergensis, Philippus Jacobus Woelfing Moeckmülensis et Joan. Wolfg. Geer Sindelfingensis. Ex paedagogiis vero 14.: Joannes Lud. Neuffer Tubingensis, Joannes Werner Fleck Stutt., Georgius Balthas. Kuetaisch et Joannes Dettinger Kircho-Teccenses, Joannes Klopfer Herrenbergensis, Andreas Buiel Canstadiensis, Joannes Christoph. Denzel Backnangens., Joannes Jacob. Mewe Vaihingens., Henricus Jacobus Müller Neostainensis, Joannes Jacobus Siglin Leonberg., Joannes Michael Dosselius Lipsiensis, Josephus Stahl Loechgoviensis, Wolfg. Christoph. Flemming Dachsbacensis, et Joannes Melchior Kausler Haibacens., quos in fidem recepi 6. Sept. Quae foris acta sunt, in hoc Trophonii antro meo me praeteriere, quae in comitiis Ratisbonensibus confecta sint, supra me fuere[307]). Eucharistica tamen pro Romanorum rege creato Ferdinando 4 diximus 31. Julii. Anni fertilitas insolita, et hinc annonae vilitas posteritati admirationi erit[308]). Ex laetis mihi fuere nuptiae Friderici Ducis Würtemb. 7. Junii solenni pompa absolutae, et domus Augusta nepte ex filio principe Rudolpho[309]) Dorothea Sophia aucta 17. Jan.*). Dux Eberhardus herus noster, dum aprinae venationi vacat, illustrium numeroso comitatu[310]) ad nos divertit, cui tamen lecto dejectus adesse non potui, sed invisit aegrum princeps, virgo Anna Johanna cum comite Stolbergia, et perhumaniter est

*) Cod. B. superscriptum habet: Febr.

solata 22. Novemb. Qui alii ex studiosa juventute me amice convenerint, quorum memini, ex peregrinis (nam vicinos et conterraneos numerare non licet) paucis perstringam. Fuere autem comes baro Polhemius, Borkius nobilis, Finxius, Gravii duo, Fromannus, Wolfartus, Probstingius, Mollius, Graftius, Metzgerus, Floeterus, Micrelius, Eppsteinius, Rautensteinius, Majerus, et quem multis praetulerim, Adrianus Stodartus[311]), juvenis lectissimus cum aliis, quorum nomina mihi non innotuere. Illustris baro Stubenberg, Johannes Wilhelmus, cui infelicis cognomen inter carpophoros, felicitate ingenii cum paucis comparandus, literis humanissimis ultro in amicitiam meam concessit magno posthac mihi in pretio habendus. Nec praetereundus mihi est Matthias Gigerus, Basiliensis 32. abhinc annis familiaris meus, et generosae adolescentiae informator domesticus, qui postquam religioni nostrae accessisset, et sacro ministerio nomen dedisset, post Ulysseos plane errores variis muniis defunctus, dum herciscundae familiae causa ex tanto intervallo in patriam redit, ad me concessit 15. Sept. dudum pro mortuo habitus, posthac fortassis, si res succedat, nostrae ecclesiae non inutilis futurus, hoc enim consilio in Pomeraniam uxorem cum 8 liberis adducturus, denuo abiit. Fata sua subiere ex notis et familiaribus Ferdinandus Geizigkoffer, noster quondam Panurgus, Ratisbonae 2. Febr., Ludovicus Guth[312]) a Sulz aulae nostrae Timon Stutg. ac hic quidem morte quam vita utilior, nobili stipendio literario

post se relicto, Petrus Ernestus im Hof Kirchenthaelinsfurti 13. Maji., D. Henricus Schmid, D. Balthas. Philgus theologi, et D. Joachimus Wibel juris consultus tres professores Tubingenses, ille 23. Febr., iste 22. Maji, hic 6. Junii. Maximo vulnere affecit Joannes Bernhardus Wagner antistes Goeppingens., quondam cognatus, collega et compater per 27 annos in deliciis habitus. Addam duas foeminei sexus Annam Magdalenam Hellerin innuptam 11. April. Stutg., et Annam Mariam Ergezingerinam Calvae 21. April. defunctas, hanc filiae loco jam a Calvensi clade ob hospitii beneficium habitam. Venio nunc ad domestica mea, quae nasutus lector, curiosus atque morosus praetereat, meis enim tantum haec scribo. Stipendio dispensatoris nequitia tenaciter soluto, superfudit larga Augusti manus, cui omnia, quae possideo, debeo. Unde abacus non tenuiter crevit. Emi etiam horologia duo speciosi operis, artificii Habrechtiani, ex haereditate Friderici Sellingeri a successore matrimonii Joanne Brandio exinde amico facto, sed et poculum argenteum quondam ab imperatore Maximiliano 2 avo meo D. Jacobo per Richardum baronem Streinium [318]) in clementiae signum dono datum redemi, familiae monumentum futurum. Famulum alui a 15. Jan. ad 13. Decembr. Joannem Frid. Mauchium non incommodum. Nequam vero puellam Elisab. Schnauferin commutavi 12. Maji cum Anna Catharina Mauchii sorore parum feliciter, cui successit 14. Junii Anna vidua bonae fidei et operae foemina, dum

aliam conducerem, quae 14. Nov., Elisabetha Hartmaennin accessit. 8. Sept. gemina prole auctus sum Clara Augusta Rüelinia nepte et Gottesfrido*) Andreae nepote, numero 25. Caetera quid inter vulpinarias artes malae fidei sociorum et viperinam progeniem pertulerim, sequentis anni, quo demum retectae sunt fraudes, ephemerides, si sinat Deus, referent. Summae benignitatis est Jehovae, quod non sumus absumti, quod non finiuntur miserationes ejus, novae sunt singulis matutinis, amplissima est fides ejus (Lament. 3. v. 22) cui sit laus, honor et gloria.

---

*) Cod. a.: Gottofredo.

Berolini, typis fratrum Unger.

Fuit equidem mihi in omni vita, ni-
hil prius, aut posterius, quam ut Re-
ligionem Evangelicam, a megalandro
Luthero, nostro, ex tenebris rebo-
catam, et cum materno lacte im-
bibitam a primis unguiculis cum
S. Biblys, conferrem, ex Confessio-
ne Augustana incorrupta, et Con-
cordiae formula, adaugerem, Prae-
ceptorum, maxime D. Matthiae
Hafenrefferi institutione confirmarim
Lectione Theologorum nostrorum, et
S. Patrum consensu, sancirem,
tandem etiam per triginta plus mi-
nus annos, tot mille auditorum
magniq numeri Collegarum testi-
monio, Aula, Curia, Academiaq
nostris consilys, publice profiterer, ci-
adversum euntes, detestarer, nec
tamen eo sibuj latrantem Calum-
niam,

Ex Dedic. ad August. Ducem.

1629.

Excursio Argentinensis.

Qui Decadem hanc claudat, eo nullam propemodum re memorabili transmissus est, nisi quod Argentinam amicorum causa non sine foenore revisissem, cum vel solius Matth. Berneggeri V. C. cum quo iam diu arcta mihi amicitia est, nomine illuc missem, addidit is amicorum nobile par, Joh. Schmidium et Joh. Georgium Dorschaeum, Theologos insignes, ac illum quidem, pro Dei domo zelotem, ac qui animi in me propensionem, in exequiis Wegelianis palam testari non erubuit.

Amicitia Jo: Schmidij.

Sed et Academiae Rector, Fröreisius cum aliquibus insignioris notae professoribus convivio liberali comiter habuit. Denique et urbis consul Joh. Kellerus vir literis et probitate primus, sponte amicitiam, quam coena sua hilaritate testatus est, detulit, et cordatis interea literis continuavit.

Samuelis Glonerj

Samuel vero Glonerus, Poeta Elegantissimus, quam prius absens amicitiae impetum conceperat, praesens totum effudit, et omni officio testatum esse voluit. Cumque hic annus plurimos patriae extorres faceret, ac imprimis Ecclesiae ministris esset ob difficiles receptus durissimus, ausus sum, colloquio trigeminos conversionis, constantiae et condolentiae serio

Ex L. III Vitae Andr. (cfr. p. ...)


3 2044 029 879 392

